AVGVSTINI HIPPONENSIS, ET AVGVSTINI IPRENSIS, DE Deo omnes ſalvari volente ET Chriſto omnes redimente HOMOLOGIA

Per Theſes Ant-Apologeticas expreſſa, & Lovanij loco per Iacobum Zegers deſignando, propugnanda; quando Adverſarijs videbitur.

Proſper in Epiſt. ad Auguſtinum.

Neceſſarium & utile eſt etiam quæ ſcripta ſunt ſcribere, ne leve exiſtimetur, quod non frequenter arguitur.

LOVANII,
Apud IACOBVM ZEGERS
Cum gratia & permiſſu ſuperiorum. A°. 1641.

AD LECTOREM

PRÆLOQVIOLVM.

INter articulos doctrinæ Ianſenianæ à Patribus Societatis capitaliter reprehenſos duo ſunt peculiariter inſignes, quorum alteri univerſam Semi-Pelagianiſmi machinam ſuperſtructam eſſe Ianſenius contendit: ambos tamen ab Apoſtolo diſertiſſimè traditos, & à Concilijs, Patribus, & Scholaſticis unanimi conſenſu propugnatos adverſarij nituntur oſtendere. Primus & maximè fundamentalis eſt, de generalitate divinæ voluntatis reſpectu humanæ ſalutis: alter de univerſalitate redemptionis Chriſti reſpectu eorum qui in Adam perierunt. Priorem in *Theſibus Apologeticis* primo loco defenſandum ſuſcipiunt adverſarij: poſteriorem, ſecundo. Nos utrumque ex Auguſtini ac diſcipulorum ejus (inter quos Ianſenium recenſere non dubitamus) principia, defendere ſtatuimus, confidentes futurum ut ubi *Ant-Apologeticas* noſtras cum Apologeticis adverſariorum æquus arbiter contulerit, Auguſtini mentem nos eſſe aſſecutos, adverſarioſque ab ea aberraſſe pronunciaturus ſit. Neque hic inquiritur an vera ſint an falſa, quæ tanquam Auguſtini ſenſa proferuntur, ſed utrùm Auguſtini ſint, an non? Quòd profectò non aliunde meliùs indagatur, quam ex ipſo Auguſtino, facundo ſatis ſenſuum ſuorum interprete. Vt tamen pleniùs omnibus ſatisfiat, diſcipulorum Auguſtini teſtimonia adjungimus, uti & obtrectatorum Auguſtinianæ doctrinæ, cavillationes. Adverſariorum ſententias ad ſuos fontes reducimus, ſcientes à Hieronymo [a] ſcriptum eſſe de dogmatibus Pelagianorum, *ſententias veſtras prodidiſſe, ſuperaſſe eſt.* Verba Auguſtini & diſcipulorum eius ad longum recitamus, ut ex integro contextu evidentiùs appareat quid intenderint:

[a] Hier. lib. 1. ult. ad Ctes.

Non

AD LECTOREM
PRÆLOQVIOLVM.

INter articulos doctrinæ Ianſenianæ à Patribus Societatis capitaliter reprehenſos duo ſunt peculiariter inſignes, quorum alteri univerſam Semi-Pelagianiſmi machinam ſuperſtructam eſſe Ianſenius contendit: ambos tamen ab Apoſtolo diſertiſſimè traditos, & à Concilijs, Patribus, & Scholaſticis unanimi conſenſu propugnatos adverſarij nituntur oſtendere. Primus & maximè fundamentalis eſt, de generalitate divinæ voluntatis reſpectu humanæ ſalutis: alter de univerſalitate redemptionis Chriſti reſpectu eorum qui in Adam perierunt. Priorem in *Theſibus Apologeticis* primo loco defenſandum ſuſcipiunt adverſarij: poſteriorem, ſecundo. Nos utrumque ex Auguſtini ac diſcipulorum ejus (inter quos Ianſenium recenſere non dubitamus) principia, defendere ſtatuimus, confidentes futurum ut ubi *Ant-Apologeticas* noſtras cum Apologeticis adverſariorum æquus arbiter contulerit, Auguſtini mentem nos eſſe aſſecutos, adverſarioſque ab ea aberraſſe pronunciaturus ſit. Neque hic inquiritur an vera ſint an falſa, quæ tanquam Auguſtini ſenſa proferuntur, ſed utrùm Auguſtini ſint, an non? Quòd profectò non aliunde meliùs indagatur, quam ex ipſo Auguſtino, facundo ſatis ſenſuum ſuorum interprete. Vt tamen pleniùs omnibus ſatisfiat, diſcipulorum Auguſtini teſtimonia adjungimus, uti & obtrectatorum Auguſtinianæ doctrinæ, cavillationes. Adverſariorum ſententias ad ſuos fontes reducimus, ſcientes à Hieronymo a ſcriptum eſſe de dogmatibus Pelagianorum, *ſententias veſtras prodidiſſe, ſuperaſſe eſt*. Verba Auguſtini & diſcipulorum eius ad longum recitamus, ut ex integro contextu evidentiùs appareat quid intenderint:

a Hier. in c. ult. ad Ctel.

Non

Non enim ignoramus, Sanctorum Patrum scripta si mutilè aut corturbatè citentur, alienum nonnunquam sensum lectoribus ingenerare. Hinc Vincentius Lyrinensis in aureo suo adversus prophanas hæreseon novitates libello, [b] de priscis hæterodoxis agens: *Captant*, inquit, *plerunque veteris cuiuspiam viri scripta paulò involutiùs edita, quæ pro sui obscuritate, dogmati suo quasi congruant: ut illud, nescio quid, quodcunqȝ proferunt: Neque primi, neque soli sentire videantur.* Hanc lucubratiunculam nostram, Si Tibi (candide lector) gratam fore perspexerimus, animum ad Augustini mentem circa cæteras materias in Ianseni (ex quo omnia propemodùm quæ hic tradimus, desumpsimus) opere, ab æmulis reprehensas, elucidandam applicabimus. Interea tu nostro hoc prodromo fruere. Et vale.

b c.11.

CENSVRA.

PRo maiori elucidatione doctrinæ D. Augustini, Theses has Theologicas Ant-Apologeticas, contra quoscumque oppugnare volentes propugnandas, in lucem mitti posse censeo. Dat. Lovanij die 21. Iunij anno 1641.

Iacobvs Pontanvs S. Theol. Doctor & Librorum Censor.

THESES

THESES THEOLOGICÆ.

I. Deum velle omnes homines ſalvos fieri.

ERrorem eſſe, imò Maßilienſium baſim, eam Recentiorum ſententiam, qui exponunt illud 1. *ad Timoth.* 2. Vult omnes homines ſalvos fieri, *de voluntate ſalvandi omnes, quantum in ipſo eſt, aſſerit Ianſenius tom.* 1. *lib.* 8. *c.* 15. *Hac in parte Ianſenium propugnant eius patroni: non ignorari, aiunt, à nobis, longè aliter illud Apoſtol. accipi ab Auguſtino, & conſtanter noſtram ab eo reÿci interpretationem, quæ fuit Maßilienſium. Vnicus in id ſufficit locus Auguſtini ex Epiſt.* 107. *A Ianſenio etiam facere addunt Proſperum epiſt. ad Ruffinum, quin & Fulgentium.* pag. 37. Querim.

REsp. Quâ voluntate Deus velit omnes ſalvos fieri, id unanimi conſenſu Patres deducunt ex eo, quod ſubjungit Apoſtolus: *Vnus enim omnium Deus, unus mediator, qui dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus.* Vti ergo omnium, ſine exceptione, eſt Deus, eſt mediator, eſt redemptor; ita omnium vult ſalutem. Voluntas enim mediorum, per ſe arguit voluntatem finis. Veteribus ea in parte conſentit Auguſtinus, qui non modò ingeminat Chriſtum omnium Salvatorem, & pro omnibus mortuum, quia omnes mortui; ſed ſolenne illud Patrum Græcorum, atque ex Latinis, Cypriani, Ambroſij &c. *Myſticus ille ſol iuſtitiæ, omnibus ortus eſt, omnibus venit,* ſic admittit, ut omnes indiſcriminatim poſſe Dei præcepta ſervare, ſi modò velint, ſæpiùs inculcet. Cujus rationem reddit, quòd *illud lumen illuminet omnem hominem venientem in hunc mundum.* Vt hic Auguſtinum veteribus opponere non poſſis, niſi communibus eorum dictis vim inferre malis, & illi novitatis notam inuras: quam ne incurreret, veterum Patrum auctoritatem agnoſcit, & ſe per eam tuetur, ac abſolutè recipit propugnandam lib. 2. contra Iulianum cap. ult.

Hic reclamant Ianſeniani, & queruntur *conturbari etiam verba Auguſtini, ut Ianſenio aliquid valeamus impingere.* Auguſtini ſententiam: *Verum eſt enim omnino omnes homines hoc poſſe, ſi velint,* ut ἐμφατικῶς dictum, exponimus: *omnes omnino poſſe, ſi velint:* & recte; juxta ſcopum Auguſtini, & verba. Nam quod Auguſtinus docuerat lib 1. contra Manichæos cap. 3. Omnes poſſe ſervare

Dei præcepta, si velint, *quia illud lumen illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*; confirmat lib. 1. Retract. cap. 10. his verbis: *Verum est enim omnino omnes homines hoc posse si velint*: quod meritò ἐμφατικῶς dictum accipitur: quia voces, *omnino omnes*, nullo interposito commate dirimit editio Parisiensis, & Basileensis, & sic sensus reverà requirit; tum quia id sine ulla limitatione concedit Pelagianis, solùm addens, voluntatem à Domino debere præparari, tum quia per *omnes*, non solos eos comprehendit, qui de facto Deo obsequuntur, quorum paulò antè meminerat; sed reliquos etiam non obsequentes. In eumdem sensum, ait lib. 2. de peccatorum meritis c. 17. Homines non esse sine peccato in hac vita, quia nolunt, etsi esse possint, gratiâ adjuvante divinâ.

Mentem eam, etsi non dubiam, Augustini, hujus fidissimus Interpres ac Discipulus certiorem reddit D. Prosper, nisi fortè eos inter se committere malis. Hic igitur lib. 2. de vocat. gent. cap. 19. disertè dicit: *Deus pro omni tempore vult omnes homines salvos fieri, aut generalibus donis, aut etiam peculiaribus.* Hinc & parvulis omnibus, ex communi ea voluntate omnes salvandi, ait, dari generalia ea subsidia salutis, *qualia universis impensa nationibus*, cap. 23. Rem hanc eamdem prosequitur circa adultos, cap. 25. & concludit, *Deo autem placuit, & hanc* (specialem misericordiam) *multis tribuere, & illam* (generalem) *à nemine submovere.* Atque ita probat Deum, velle omnes salvos fieri, uti & cap. 28. in fine. Non minus efficax est id quod ait cap. 29. *Pratenta super omnes misericordia Dei, à quo, quod & nemini negatur, & nulli debetur, in ijs, quod promisit, efficitur.* Vbi vides nemini negari id, quod ad salutem spectat. His sub finem capitis, subdit: *Bonitas Dei consuluit semper, & consulit, ut neque ulli pereuntium excusatio suppetat, de abnegato sibi lumine veritatis.* Audin, Neque ulli? Subjungit cap. 30. *ut tribus illis saluberrimis & veracissimis definitionibus simus innixi, quarum una profitetur aeternum & proprium divinæ esse bonitatis, ut omnes homines salvos fieri velit.* Hanc voluntatem esse omnino generalem, probat cap. 31. ex illo Apost. *Qui est salvator omnium hominum, maximè fidelium.* Postremò sic librum concludit: *Deus, qui omnes vult ad agnitionem veritatis venire &c.* Quis hinc non videat, eam, quam Prosper hausit à magistro suo Augustino, his expressam esse doctrinam? quæ si errorem continet Massiliensium, necesse est utrumque, cum veteri Ecclesia, lapsum in errorem.

At Ian-

At Ianſenianis contra Recentiores ſufficit Auguſtini epiſt. 107. & Proſperi ad Ruffinum, ac Fulgentius; qui communiter Semipelagianos in eo incuſant, quòd hi ſæpè opponant Deum velle omnes ſalvos fieri. Verùm non ad verba, (niſi & Apoſtolum argui velint) ſed ad ſenſum Semipelagianorum, qui reprehenditur, reflectere debuiſſent Adverſarij. Docebant Semipelagiani gratiam ſecundùm noſtra merita dari, ſecundùm demerita negari: & ſic in poteſtate noſtra eſſe, ut conſequamur ſalutem: in quem ſenſum urgebant verba Apoſtoli, ut ſatis indicat Auguſt. Epiſt. 107. de quo vide Theſim 3. de Semipelagianis. Hunc ſenſum, ut erroneum damnat Auguſt. probatque gratiam infantibus aliquibus ſine merito conferri, ſine demerito aliquibus non dari: atque ita exponens Apoſtolum, quòd non niſi Deo volente ſalventur, qui ſalvi fiunt, ſubdit: *Etſi quo alio modo verba Apoſtolica intelligi poſſunt.* Quibus tantùm negat dari efficacem voluntatem omnes ſalvandi, qualis habetur erga electos: innuit autem voluntatem dari communem; quæ illi contraria non eſt: & Auguſtinus ibi tantùm monet, ut contrarietas vitetur. Eumdem ſcopum reſpicit Proſper, ſic enim habet in exordio epiſt. citatæ: *Vna eſt blaſphemia, gratiam Dei ſecundùm merita hominum dari.* Quam refellit eo modo, quo Auguſtinus ſuprà, & impiè in eum ſenſum trahi Apoſtolum docet. Eodem omnino ſpectat Fulgentius.

THESES THEOLOGICÆ
ANT-APOLOGETICÆ.

DEum velle omnes homines ſalvos fieri, Apoſtolicâ inſonante tubâ didicimus: nec utrum id verum ſit, controvertitur: de ſenſu, non levis eſt controverſia. Pelagius Hæreſiarcha locum illum explanans in Commentarijs epiſtolarum Paulinarum, Hieronymi operibus tomo 8. immixtis, de univerſis omninò hominibus id intelligendum eſſe contendit. Qui & tacitæ objectioni, quæ formari poterat, de quam plurimis, qui non ſalvantur, viam præcludens; conditionem adijcit: *Si*, inquit, *ipſi tamen vocanti Deo conſentire voluerint.* Idem ſentit Auctor Carminis de Providentia, operibus Proſperi, inſerti:

inſerti, quem fuiſſe Pelagianum aut Semi-Pelagianum, perſpicuum eſt: ſic igitur ille ait:

Dicite quem populum, qua mundi in parte remotum,
Quoſve homines, cuius generis vel conditionis,
Neglexit ſalvare Deus? &c.

Et paulo poſt:

——— Numquid non ſemine ab uno
Venimus, aut alia eſt hominum natura bonorum?
Non aliter dives, quàm pauper naſcitur: unum eſt
Principium ſervis & Regibus: optimus ille
Non plus accepit, quàm peſſimus: æqua creantis
Menſura eſt, uno qui lumine luminat omnes.

Si tamen aſſerteris opem feſtina voluntas
Præveniat, ſictu Dominum motura fideli,
Nam ut nemo invitus, ſomnove quietus in alto
Fit ſalvus, nec vi petitur, qui ſponte receſſit:
Sic pulſata patent redeuntibus atria vitæ.
Et recipit cæli ſerratos curia cives.

Eamdem Interpretationem amplectitur, Ambroſiaſter in Epiſtolas Pauli, Pelagianorum ſane non minimus: a *Si, inquit, Deus qui omnipotens dicitur, Omnes homines vult ſalvos fieri, cur non impletur eius voluntas? ſed in omni locutione ſenſus eſt, conditio latet: unde dicit Petrus Apoſtolus: Omnis Scriptura indiget interpretatione: vult enim Deus omnes ſalvos fieri, ſed ſi accedant ad eum: Non enim ſic vult, ut nolentes ſalventur; ſed vult illos ſalvari, ſi & ipſi velint: nam utique qui legem omnibus dedit, nullum excepit à ſalute.* Eumdem locum cum eadem univerſalitate & conditione intelligit, ac ſuo, ſuorumq; nomine inſtantiſſimè urget *iactantiſſimus* ille (ut b Proſperi verbis utar) *Pelagiani erroris aſſertor Iulianus*, apud c Auguſtinum. *Ponis* (ait ei Auguſtinus) *Apoſtolicum teſtimonium, & ab eo dicis pulſantibus aperiri, qui omnes homines vult ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire; ut videlicet intelligamus, DOCENTIBVS VOBIS, ideo non omnes ſalvos fieri, & in agnitionē veritatis venire, quia ipſi nolunt petere, cùm Deus velit dare: Nolunt quærere, cùm Deus velit oſtendere: Nolunt pulſare, cùm Deus velit aperire.* Eamdem interpretationem avidiſſimè arripuerunt Semi-Pelagiani apud d Proſperum: *propoſitum vocantis gratiæ*, ait Proſper,

a In c. 2. 1. ad Timot.
b In Chron.
c Lib. 4. contra Iulian. cap. 8.
d In Epiſt. ad Auguſt.

Prosper, in hoc omnino definiunt, quod Deus constituerit nullum in regnum suum nisi per Sacramentum regenerationis assumere: & ad hoc salutis donum omnes homines VNIVERSALITER, *sive per naturalem, sive per scriptam legem, sive per Evangelicam prædicationem vocari: ut & qui voluerint, fiant filij Dei, & inexcusabiles sint, qui fideles esse noluerint: quia Iustitia Dei in eo sit, ut qui non crediderint, pereant: Bonitas in eo appareat, si neminem repellat à vita, sed* INDIFFERENTER VNIVERSOS *velit salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Et infra: *Nec vacillare illud, quod Deus omnes homines velit salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. -- Itaque quantum ad Deum pertinet, omnibus paratam vitam æternam: quantum autem ad arbitrij libertatem, ab his eam apprehendi, qui Deo sponte crediderint, & auxilium gratiæ merito credulitatis acceperint.* Idem de ijsdem. e

e Carm. de ingratis cap. 10.

Gratia quâ Christi populus summus hoc cohibetur
Limite vobiscum, & formam hanc adscribitis illi:
Vt cunctos vocet illa quidem, invitetque nec ullum
Præteriens studeat communem adferre salutem
Omnibus, & totum peccato absolvere mundum.
Sed proprio quemque arbitrio parere vocanti,
Iudicioque suo, motâ se extendere mente
Ad lucem oblatam, quæ se non subtrahat ulli,
Sed cupidos recti iuvet, illustretque volentes.

Ibid. cap. 11.

Iam quia summatim, ut potuit, sententia vestra
Decursa est, dic unde probas quod gratia Christi
Nullum omnino hominem de cunctis, qui generantur,
Prætereat, Cui non regnum, vitamq; beatam
Impertire velit?

Idem de Semi-Pelagianis refert Hilarius f, cujus verba inferius de Augustini sententia agentes citabimus.

f In Epist. ad Aug.

Sed quid alienis testimonijs referendis immoramur, Cùm habeamus ipsos Semi-Pelagianos mentem suam disertè exprimentes? octava enim objectio Gallorum apud Prosperum illa est, quæ tanquam absurdum ex opposita sibi sententia inferunt, *Quod non omnes homines velit Deus salvos facere, sed certum numerum Prædestinatorum*: & 2. objectio Vincentiana apud eumdem est hæc: *Quod Deus nolit omnes salvare, etiamsi omnes salvari velint.* Idem sentit Faustus g Regiensis Semi-Pelagianorum Coryphæus, cum

g Lib. 1 de lib. arb. c. cap. 16.

Paulus Apostolus dicat, inquit, *Qui est Salvator omnium hominum, maximè fidelium : Quod dixit, Omnium hominum, ad propositum Divinæ Bonitatis aspexit : Quod autem dixit, maximè fidelium, illos hoc loco pronuntiavit, atque distinxit, qui per fidem, per obedientiam, per subditam voluntatem, Redemptoris munera susceperunt.* Et iterum [h]: *Dic mihi quem à gratia Redemptionis exceperit, qui damnationis antiquæ Chirographum generale delevit.*

[h] In fin. eiusdē capitis.

Ex recentioribus eamdem expositionem animosissimè propugnat [i] Molina, [k] Lessius, & passim alij Societatis Theologi. Vbi hoc obiter adverte [l] Molinam ingenue fateri contrariam expositionem esse S. Augustini, cum tamen recentiores Moliniani Augustinum pro sua parte stare, plenis buccis concrepent : verba [m] Molinæ sunt hæc : *Credens autem Augustinus cum ijs, quæ de gratia adversus hæresim Pelagianam ex Scripturis rectissimè docuerat, coniunctum esse, Prædestinationem Dei æternam non fuisse secundum merita qualitatemque usus liberi arbitrij, à Deo pravisi; sed solum secundum Dei electionem & beneplacitum (quod in quo sensu verissimum sit, membro 12. explicatum est) iuxta eam sententiam Paulum ad Rom: 9. multis in suorum operum locis interpretatus est : RESTRINXITQ; illud 1. Timoth. 2. vult omnes homines salvos fieri, ut non de omnibus universim hominibus, sed de solis Prædestinatis intelligeretur :* additque: *Quæ doctrina plurimos ex fidelibus præsertim ex ijs, qui in Gallia morabantur, non solum indoctos, sed etiam doctos, mirum in modum turbavit, ne dicam illius occasione salutem eorum fuisse periclitatam. Ne enim eiusmodi doctrinæ adhærerent, hæresi potius Pelagianæ ex parte assentiendum putabant, variosque alios errores circa Parvulorum prædestinationem fingebant.* Cùm similē discrepantiam Pelagianorum à suo Pelagio deprehendisset Augustinus. [n] *Quid hic*, inquit, *dicturi estis, nisi forte Pelagio maledicatis?* Rursus Molina [o] rationem conciliandi libertatem arbitrij cum divina gratia, præscientia, & Prædestinatione, à seipso inventam, & ab antiquis Ecclesiæ scriptoribus per mille & amplius annos non satis penetratam, aut certe explicatam asserit. *Ac quamvis*, inquit, *hæretici qui vel divinæ gratiæ, vel libertati arbitrij præiudicium adferre moliti sunt, ex Scripturis sanctis, principijsque fidei efficaciter sint expugnati; haud tamen scio, an explicata penitùs, & abundè reddita ratione integra conciliandi libertatem arbitrij cum illis tribus, & hæreticis aditus, quo facilius ad pacem, unitatemque Ecclesiæ redirent, sit patefactus, & concertationes quæ ante mille annos inter viros Catholicos obortæ sunt, quantum par est, sint compositæ.* Tum non longe infra de suis inventis scribens sic ait, *Quæ si data explana-*

[i] In cōcordia q. 23. ar. 4. & 5. disp. 1. memb. 13. & seqq.
[k] De prędest. & repro Ang. & hom. sect. 6. assert. 1.
[l] Memb ul. eiusdē disp.
[m] Cit. memb. ult.
[n] Lib. 3. contra Iulian. cap. 1.
[o] Eadē disp. & memb. paulum inferius

117

explanataque semper fuissent, forte neque Pelagiana hæresis fuisset exorta, neque Lutherani tam impudenter arbitrij nostri libertatem fuissent ausi negare, obtendentes eum divina gratia, Præscientia, & Prædestinatione, cohærere non posse; neque ex Augustini opinione concertationibusque cum Pelagianis tot fideles fuissent turbati, ad Pelagianosque defecissent, facileque reliquiæ illæ Pelagianorum in Gallia, Quorum in epistolis Prosperi & Hilarij fit mentio, fuissent extinctæ. Et rursus: p *neque verò dubito* (inquit) *quin ab Augustino & cæteris patribus unanimi consensu comprobata fuisset hæc nostra de prædestinatione sententia, ratioque conciliandi libertatem arbitrij cum divina gratia, præscientia, & Prædestinatione,* SI EIS PROPOSITA FUISSET. Tandem apertius novitatem suæ methodi agnoscit dum ait: q *Longior fui in hac disputatione, quam optaram, vereorque ne aliquarum rerum repetitio Lectori molestiam attulerit, quia tamen res est magni momenti ac valde lubrica, & hæc nostra ratio conciliandi libertatem arbitrij cum divina Prædestinatione* A NEMINE, QUEM VIDERIM, HUCUSQUE TRADITA, *ideo satius hæc duxi paulò fusius explicare.* Viderint nunc Moliniani, qua ratione Molinæ suo adhæreant; qui methodum à molina primo inventam, *à nemine, quem viderit, hucusque traditam,* ab Augustino reliquisque priscis Patribus *unanimi consensu comprobandam, si eis proposita fuisset,* Non solum Augustino, sed communiter omnibus antiquis Patribus obtrudunt? Alterum enim è duobus necesse est fateantur, nimirum aut molinam neque Augustinum, neque ullum antiquorum Patrum vidisse; aut vidisse quidem, sed in illorum lectione cæcutijsse; nisi forte dicant se beneficio tubi Batavici vidisse aliquid in illis, quod Molina istiusmodi Tubo destitutus videre non potuerit: aut saltem se, Molinæ humeris insidentes proculiùs & distinctiùs vidisse, quam ille viderit. Sed ut demus, eos aliquid in Augustino invenisse, quod Molina ignoravit, quid saltem de suo Generali, & reliquis Societatis Definitoribus respondebunt, qui disertissimè agnoscunt, eam sententiam de Concordia Gratiæ & Liberi arbitrij, ex unius Molinæ privato ingenio natam fuisse, sic enim scribit Author vitæ Eminentissimi Cardinalis Bellarmini: r *Fere per idem tempus cœpta Roma agitari controversia est, inter Religiosum Ordinem S. Dominici, & Societatem nostram circa opinionem P. Ludovici Molina de Concordia gratiæ & liberi arbitrij. Quam sententiam etsi aliqui eò quod* UNIUS PRIVATI SCRIPTORIS *nata ex ingenio esset, minimè censebant defendendam à Societate universa: attamen ij qui tunc præerant, aliter ipsi deliberarunt:*

p Infer. paulo ante finem.

q in fine prorsus istius memb.

r lib. 3. cap. 5.

Tum

TUM QUIA NOSTRORUM PROFESSORUM PARS MAIOR IN ACADEMIIS EAM TUEBATUR, TUM QUIA IUDICABATUR INPRIMIS IDONEA AD EXPEDIENDAM CATHOLICAM DOCTRINAM DE LIBERTATE AB HÆRETICORUM LAQUEIS. Ecce hi fatentur eam sententiam ex privato Molinæ ingenio natam; moderni Moliniani [s] eamdem non solum Priscis Scholasticis, & vetustissimis patribus, sed & ipsi Spiritui Sancto in scriptoribus Canonicis loquenti, & Synodorum Ecclesiasticarum definitionibus assistenti, obtrudunt. Forte Authorem vitæ Bellarmini mentitum fuisse pronuntiabunt. Ego certe non intendo ipsius agere Apologiten. scio interim plures esse, qui eadem in vita Bellarmini referunt, nimirum *Iacobum Fuligattum & Sylvestrum à Petra-Sancta*, ambos Societatis Theologos: & quidem de Posteriore non facile credo eos id dicturos, cum ipsius sinceritas, & probitas in his partibus sit satis nota, utpote qui Leodij per aliquot annos Confessarium egerit Illustrissimi Nuntij Apostolici, non adeo pridem: Cujus etiam *centuriam primam Metaphorarum Scripturæ* miris ipsi laudibus efferre aliàs consueverunt. An forte *Molinæ* methodus antiquitùs quidem usurpata fuerit ab ijs Patribus, quos ipsi citant, sed intermedio tempore emortua, & novissimè à *Molina* cerebro renata? Quid ergo facient de Quingenaria præscriptione Lessij, [t] qua ex communi consensu Doctorum Scholasticorum à Quingentis fere annis colligit, sententiam asserentem, *facienti quod in se est per vires naturæ Deum non denegare gratiam*, nullatenus pertinere ad errorem Massiliensium? Si enim ad præscribendum in materia doctrinali sufficiat spatium 500. annorum, cur non sufficiet spatium mille & amplius annorum, qui usque ad Molinam, ipso superius fatente, effluxerunt. An forte veritas velut in Democriti puteo, tota antiquitate delitescens, Molinam expectaverit extractorem? Sana intelligentia Gratiæ & Libertatis humanæ, in tenebroso carcere captivata, claves scientiæ in fine sæculorum è Cælo per Molinam deportandas præstolabatur? Tamdiu tenebræ operuerunt terram, & caligo populos, quamdiu splendidum illud sapientiæ jubar Molinæ mundo non illuxerat? Tamdiu Ecclesia Christi idoneam rationem conciliandi Gratiam Christi cum hominis Libertate non invenerat, quamdiu ea ex PRIVATI SCRIPTORIS MOLINÆ INGENIO, velut nova Minerva è Cerebro Iovis, nata non fuerat? Tamdiu lucerna Christianæ, de gratia, fidei, sub modio

[s] c. 1. Famosarũ Thes.

[t] In append. ad cap. 10. de grat. n. 24.

modio abſconſa jacuerat quamdiu novus Apoſtolus & Orbis Magiſter *Molina* eam ſuper Eccleſiæ candelabrum non collocaverat? Tamdiu regnavit Ignorantia, quamdiu Lutheri & Calvini hæreſes non erant, è quarum laqueis per Molinianam concordiam libertas arbitrij expediri debuerat? Præclare de *Marcionitis* & *Valentinianis* olim Tertullianus: u *Quoquo modo ſit erratum, tamdiu utique regnavit error, quamdiu hæreſes non erant: Aliquos Marcionitas & Valentinianos liberanda veritas expectabat: interea perperam Euangelizabatur, perperam credebatur, tot millia millium perperam tincta, tot opera fidei perperam adeministrata, tot virtutes, tot Chariſmata perperam operata, tot ſacerdotia, tot miniſteria perperam functa, tot denique Martyria perperam coronata.* u lib. de præſc. cap. 29.

Porro quod ad rationes illas attinet, Quæ Societatis Moderatores ad aſtringendum univerſam Societatem ſententiæ Molinianæ adegerunt: prior non ſpirat religioſam humilitatem ſed zeloſam animoſitatem: Zelum, inquam, conſulendi honori ac reputationi *Majoris illius partis Profeſſorum* Ordinis, *qui in Academijs eam tuebantur ſententiam*: ne enim hi cogerentur Palinodiam canere; altera pars, quæ minor erat, palinodiam canere, & majori parti adjungere ſeſe debuit Quæ cum ita ſint, non video ſanè cur reprehendi multum debeant ij, qui apud Leſſium x dixerunt *Societatem eo nomine periculoſam eſſe, quod conſtet magnis Ingenijs, quæ per Philoſophiam, & Scholaſticas ſubtilitates quidvis tueri poſſint, & veritatem ita involuere, ut Eccleſia non facilè aliquid certi definire poſſit.* Item, *Societatis Profeſſores eſſe Inventores Novitatum, nec expedire eos publicè in Univerſitatibus Philoſophiam & Theologiam profiteri.* Et quamquam Leſſius paulo poſt aſſeveret: *Non eſſe metuendum ne Societatis Doctores veritati tenebras offundant, novitates & errores invehant*; utpote, *invigilante in eam rem ſuperiorum induſtria, & inprimis Præpoſiti Generalis, Viri ſapientia, Religione, & rerum uſu, præter cæteras animi dotes, planè eximij, qui in hunc finem multa præclarè conſtituit, quæ accuratè ſervantur.* x in præf. Tract. de Grat.

Nihilominus ex hoc unico decreto de amplectenda ſententia, è cerebro UNIUS PRIVATI SCRIPTORIS *Molinæ nata, eo quod major pars Profeſſorum in Academijs eam tueretur*, non omnino vanam fuiſſe prædictam admonitionem, apparet. Si enim ad ſalvandum honorem majoris ſolum partis Profeſſorum fuerit tunc ſtatutum, ut non recederetur ab opinione Molinæ; quid expectari aliud poteſt nunc, quando univerſi Profeſſores totius Ordinis eam ex Decreto Præpoſiti Generalis ubique locorum tuentur, quam ut

pro ea quovis modo tutanda, quasi pro aris & focis decerteretur, neque ab ea, ulla vi argumentorum, quantumcumq; evidentium, recedatur? Hinc factum, ut cum Summus Pontifex Clemens VIII. statuisset controversiam istam in favorem ejus partis decidere, quæ Augustinum probaretur habere patronum, Professores Societatis, qui antea Augustinum pro adversa parte stare, cum suo Molina, fatebantur; exinde eumdem Augustinum obtorto collo in suam partem trahere sategerint. Ecce tibi veram causam, cur moderni Moliniani nimis animosè suo Molinæ ex una parte adhærendo, eidem ex altera parte, tantum non maledicere cogantur: Duo quippe dixerat Molina, unum de Concordia Gratiæ cum libero arbitrio, Præscientia, & Prædestinatione divina; alterum de mente Augustini: In priori contentiosissimè defenditur, in posteriori operosissimè reijcitur. Ad primum impulit decretum Ordinis, ad secundum declaratio Pontificis: imò verò penitiùs introspiciendo, ipse zelus adhærendi primo, compulit abjurare secundum; nam si sperare possent absque Augustini suffragio victoriam, ultrò eum Adversarijs relinquerent: nunc quia Summus Pontifex mentem suam in Romona congregatione, de auxilijs nuncupata, aperuit; Augustinum in sua castra, frustrà reclamante Molina, accersunt. Pontificis verba, quibus Augustinianæ doctrinæ in materia de gratia inhærendum decernit, attexere hoc loco, non erit abs re.

VERBA CLEMENTIS VIII. PONT. MAX. AD CONGREGATIONEM DE AUXILIIS nuncupatam:, quibus, in hac præsertim materia doctrinæ D. Augustini inhærendum decernit: simulque suam in hac re sententiam indicat.

QVamvis nemini, nisi Deo, rationem reddere debeam mearum actionum, dicam tamen impræsentiarum rationes, propter quas adstringere statui, totam hanc disputationem, ad normam doctrinæ S. Augustini de Gratia.

Prima est: Quod si, teste B. Prospero ferè initio libri contra Collatorem, viginti annorum spatio, acies Ecclesiæ ita dimicavit pro Gratia contra Pelagianos, ut tandem Augustino duce vicerit; oportet etiam ut in causa simili, eumdem ducem agnoscamus, & sequamur. Secunda est: Quod idem Sanctus, nihil videtur prætermisisse eorum, quæ ad præsentes controversias pertinent: Quandoquidem si agitur de necessitate Gratiæ, eam de-

scribit

119

scribit dicens, esse necesse ut nos praeveniat, comitetur, & sequatur: si de vi, asserit vires efficacißimè praebere voluntati: si de effectu, testatur facere de nolente volentem: Si de modo, asserit Deum id facere omnipotentißimâ facilitate. Denique sic dissolvit obiectiones, ut doceat liberum arbitrium non tantùm bene cum illa Gratia, quam defendit, cohaerere; sed etiam fieri liberius, quando ab illa fuerit liberatum. Tertia tandem ratio est: quod cum multi Pontifices praedecessores nostri, doctrinae S. Augustini de Gratia, tam acres fuerint assertores ac vindices, ut quasi haereditario iure eam in Ecclesia relinqui voluerint, aequum non est, ut patiar illam hâc quasi haereditate privari. Seque id numquam passurum, asseveranter affirmavit: & ita mansit fixus in hac resolutione, ut in omnibus sequentibus disputationibus, ad singula penè dubia, quae praeponebantur disputanda, postularet: An articuli excerpti ex Molinae doctrina, essent apud S. Augustinum, aut secundum doctrinam & mentem illius?

Ita ad verbum refert Guilielmus Gibeuf. in limine Tractatus sui de Liberrate Dei, & Creaturae, ex libro animadversionum in Concordiam Molinae scripto per D. de Bossu, qui unus fuit è Consultoribus praedictae congregationis de Auxilijs.

Quid igitur hic facerent Moliniani, nisi aut Molinae sententiam de Concordia Gratiae, & Liberi arbitrij, ab universa Societate desponsatam, repudiare; aut Augustinum, contortâ licet cervice, in partes suas, nequicquam refragante Molina, attrahere? prius facere absque dedecore, non dico, *maioris partis professorum suorum*, sed universorum, decreto generali ad id astrictorum, non poterant: igitur posterius tanquam minus probrosum eligi oportebat. Pulchrè Augustinus adversus Iulianum, Ambrosij evidentissimis testimonijs à se impugnatum, *Quantalibet ferarum animi obstinatione, Iuliane; quantalibet adversus nos pervicacia pro Pelagiano errore consistas; Tanta per B. Ambrosium circumvallaris rerum evidentiâ, tanta verborum eius manifestatione contunderis, ut profecto si nulla te ratio, cogitatio, consideratio Religionis, pietatis, humanitatis, atque in te ipso advertendae veritatis, à pertinaci intentione revocaverit, ostendas quantum in malis humanis valeat, eò quemquam fuisse progressum, ubi manere non libeat, VNDE IAM REDIRE PVDEAT. Sic enim te affici credo, cùm ista legeris. Sed ô si Pax Christi in corde tuo vincat, ET BONA PAENITENTIA DE MALA VERECVNDIA PALMAM FERAT.* Lib. 1. cont. Iul. c. 5.

Secunda ratio amplectendi Molinae sententiam, universaeque

Societati eam præscribendi, fuit; *quia iudicabatur imprimis idonea ad expediendam Catholicam doctrinam de libertate, ab hæreticorum laqueis.* Quasi vero, minus foret necessarium, Catholicam doctrinam de gratia Dei expedire à laqueis Pelagianorum & Massiliensium, quam Catholicam doctrinam de libertate hominis à laqueis Lutheranorum & Genevensium. Apposite [a] Baronius Fausti Semi-Pelagiani condemnationem commemorans: *Videant*, inquit, *quanto periculo quidam ex recentioribus, dum in Novatores insurgunt, ut eos confutent, à S. Augustini sententia de prædestinatione recedunt; cùm alioqui arma non desint, quibus adversarij profligentur. Dirige semitam pedibus tuis* (ait Sapiens [b]) *& omnes viæ tuæ stabilientur. Ne declines ad dextram neque ad sinistram.* Quam monitionem ad Tractatores materiæ de Gratia & libero arbitrio peculiariter dirigi testatur Augustinus Epist. 47. ad Valentinum Abbatem & Monachos Adrumetinos, qui ut Gratiam Dei à Pelagianorum in dextram declinantium laqueis expedirent, libero arbitrio exterminium, in sinistram declinando, inferebant. In hac sanè materia, si ullibi, verissimum est illud Poëtæ:

Dextrum Scylla latus, lævum implacata Charybdis
Obsidet.

[a] ad annū 490.

[b] Prov. 4.

Non est novum, aut insolitum sub prætextu defendendi humanum arbitrium, impingere in divinam gratiam. Quinque latebras Pelagianorum recenset Augustinus lib. 4. ad Bonif. cap. 1. *Quinque* (inquit) *rerum eos obtendere obstacula diximus, in quibus eorum dogmata inimica Gratiæ Dei & Catholicæ fidei delitescerent, laude scilicet Creaturæ, laude nuptiarum, laude legis, laude* LIBERI ARBITRII, *laude Sanctorum.* Quidquid Moliniani in causa liberi arbitrij reprehendunt in Iansenio, Pelegiani reprehenderunt in Augustino. Calvinismi Iansenium insimulant; Manichæismi Augustinum illi insimularunt: Iuliani verba sunt apud Augustinum lib 1. ad Bonif. cap. 2. *Dicunt illi Manichæi, quibus modo non communicamus, id est toti isti, cum quibus dissentimus, quia primi hominis peccato, id est Adæ, liberum arbitrium perierit, & nemo iam potestatem habeat bene vivendi, sed omnes in peccatum carnis suæ necessitate cogantur.* Sub nomine gratiæ, fatalem necessitatem à Iansenio invehi proclamant: nihil minus Augustino improperarunt Pelagiani lib. 2. ad Bonif. cap. 5. Et ut breviter omnia complectar, in universa materia de Gratia, Libero arbitrio, Prædestinatione, ac Reprobatione nullam calumniam Iansenio impingunt, quæ à Pelagianis &

 120

nis & eorum reliquijs non fuerit Augustino, aut ejus Discipulis impacta; ut meritò liceret Iansenio, si viveret, illud, quod Augustinus adversus Iulianum c in simili causa usurpavit, usurpare: c lib. 1. c. 4. *Si hæc verba Venerandi Ambrosii non legisti, quomodo redarguendum librum, in quo ea sunt posita, suscepisti? Si autem legisti, quid adversus me furis, & illum in me primitùs carpis? quid nomen dilaniare niteris meum, & Ambrosium facis, tacito ejus nomine, Manichæum? cernis nempè, cum quibus tua maledicta sustineam: cernis, cum quibus mihi sit causa communis, quam nullâ consideratione sobriâ, pulsare calumnijs, & expugnare conaris? Cernis, quam tibi perniciosum sit, tam horribile crimen objicere talibus, & quam mihi gloriosum sit, quodlibet crimen audire cum talibus?* Nemo Catholicorum Molinianis improperat, quod Calvinum liberi arbitrij negatorem debellent: Ipse Iansenius ob id eis applaudebat: sed quia ad debellandum Calvinum, eos existimavit induisse inadvertenter Pelagium, ratus est se utilem Ecclesiæ Matri suæ operam impensurum, si eos (quorum in Ecclesia non vilis est auctoritas) istâ tunicâ exueret, aut saltem alios, ne eadem se induerent, præmoneret. Scivit utique ex suo Augustino non sufficere ad plenam sanitatem, depulisse unum morbum, si in ejus depulsione incurratur alter. Non ignoravit Calvinianos & Lutheranos, non solum ab omnibus Catholicis, sed etiam à reliquis hæreticis, qui non sunt de ipsis, impugnari: sanè si Pelagius cum suis asseclis reviviscеret, non minus detestaretur modernos sectarios liberi arbitrij negatores, quam olim detestatus est Manichæos, Authoris naturæ culpatores. *Isti Pelagiani* (inquit Augustinus) *hoc bene faciunt, Manichæis anathema dicere, & eorum erroribus contradicere. Sed faciunt duo mala, quibus & ipsi anathematizandi sunt: unum quod Catholicos Manichæorum nomine criminantur: alterum, quod etiam ipsi hæresim novi erroris inducunt. Neque enim quod Manichæorum morbo non laborant, propterea fidei sana sunt. Non unum pestilentiæ est genus, quemadmodum in Corporibus, ita & in mentibus. Sicuti ergo Medicus corporalis non continuò pronuntiasset à mortis periculo liberum, quem negasset hydropicum, si alio lethali morbo perspexisset ægrotum: ita istis non ideo veritas gratulatur, quia Manichæi non sunt, si alio genere perversitatis insaniunt. Quapropter aliud est quod anathematizamus cum eis, aliud quod in eis? detestamur enim cum eis, quod rectè displicet etiam ipsis; ita tamen ut detestemur in eis, unde rectè displicent ipsi.* c lib. 2. ad Bon. c. 1. Idem cap. 2. ejusdem libri, postquam Manichæorum, Pelagianorum, & Catholicorum sententias retulisset: *Desinant itaque Pela-*

giani, inquit, *Catholi is obiectare quod non sunt: nec ideo se velint haberi amabiles, quia odioso Manichaeorum adversantur errori; sed merito se agnoscant odibiles, quia suum non aversantur errorem: possunt enim duo errores inter se esse contrarij, sed ambo sunt detestandi, quia sunt ambo contrarij veritati. Nam si propterea sunt diligendi Pelagiani, quia oderunt Manichaeos; diligendi & sunt Manichai, quia oderunt Pelagianos. Sed absit, ut Catholica mater propter alterutrorum odium, alteros eligat amare, cum monente atque adiuvante Domino debeat utrosque vitare, & cupiat utrosque sanare.*

Cupivit sane Iansenius sanare non eos modo, qui in Calvinismi phrenesin apertè inciderunt, sed & eos, qui (ut opinatus est) de venenato Pelagij poculo biberunt: mercedem ab utrisque retulit, opprobria & maledicta; dubium, ab utris plura, aut graviora. Inspiciantur *Theses* Molinianorum, & conferantur cum *causa Papatus desperata* Calvinianorum; sed, *utimur* (aiunt [d] Thesitæ) *iure à natura concesso, vim vi repellimus.* Itane; natura concessit semel percutientem septies repercutere? Vis quidem vi repellenda est, sed cum moderamine inculpatæ tutelæ: dixerat Iansenius, nonnullos vestrorum in Pelagij pelagus inadvertenter decidisse: Centum & ampliùs maledictorum vestrorum jaculis repercutitur, quorum nonnulla recensere operæ pretium duxi, ut videat Lector, quam vanè, & fallaciter in nupero vestro AD REM AD REM iactetis, vos *Maledicentiâ non certare: mirum etiam in istiusmodi certaminibus superare velle. Iansenius* (aiunt Theses) est.

[d] In præfat.

1. *Perversi iudicij usurpator*, pag. 1.
2. *Imperitus confusor*, pag. 2. col. 2. num. 2.
3. *Novi Pelagianismi ex maledicendi studio procusor*, ibidem.
4. *Evidenter, vel crassè ignorans, vel impudens impostor*, ibid. n. 3. & 4.
5. *Tantus Pelagianismi Patronus, quantus fuit Augustinus eiusdem Pelagianismi impugnator*; pag. 3.
6. *Mirè malevolus, aut obliviosus sui*, pag. 4. col. 2. n. 6.
7. *Pelagio Patrocinans*, ibid. num. 7.
8. *Omnino perfidus*, pag. 6. col. 1. n. 2.
9. *Artificiosus Semi-pelagianismi diminutor*, ibidem.
10. *Minus studiosus in recedendo à Calvino, quàm in adducendo alios obtorto collo ad Semi-Pelagianismum*, ibidem.
11. *Malus, & perversus revocator sententiæ Catholicorum Doctorum ad semi-Pelagianismum*, ibidem col. 2.

12. *Falsus*

12. *Falsus commentor calumniarum*, pag: 7.
13. *Præsidenter dogmatizans*, pag. 10. in Præfat.
14. *Audax Censor*, ibid.
15. *Fallax imaginator*, pag. 13. col. 2. n. 2
16. *Sectariorum armis accinctus*, pag. 26. n. 4.
17. *Malâ fide exaggerans*, pag. 27.
18. *Malâ fide agens*, pag. 29.
19. *Luculenta Augustini, cuius se diligentem Lectorem iactat, testimonia negligens*, ibidem.
20. *Blasphemias & mendacia (si Prospero credendum) pro Catholico dogmate venditans*, ibidem.
21. *In Lectione Concilij Trident. de Nilo bibenti cani similis*, pag. 32. col. 2. num. 2.
22. *Monstrosissimus censor*, ibid. n. 3.
23. *Ineptus & frivolus expositor*, ibid.
24. *Præsidenter negans, quod non legit*, pag. 41.
25. *Notoriè mala fides*, pag. 43.
26. *Superstitiosus Pelagianismi scrutator*, pag. 49.
27. *Fide indignus*, pag. 51.
28. *Pelagiana dogmata pro arbitrio cudens*, ibid.
29. *Cum Calvino imaginans*, pag. 52.
30. *Insolenter, præsidenterque loquax*, pag. 53. col. 2. n. 2.
31. *Novæ libertatis arbitrij, hæreticorum principijs conformis, confictor*, ibid. n. 3.
32. *Doctrinam à Concilijs, & Patribus pro probatissimâ inculcatam, à veritate maximè alienam pronuntians*, ibid.
33. *Arte sibi familiari; magni nominis Doctores, volentes nolentes, sibi servire faciens*, pag. 64.
34. *Non nisi alienis oculis Doctores legens, aut pessimâ fide eos citans*, ibid
35. *Temerarius glossator*. pag. 67.
36. *Summis Pontificibus, SS. Patribus, ac scholasticis, graviter iniuriosus*, pag. 70. col. 2. n. 1.
37. *Distorta clave tentans reserare Labyrinthum, in quo inextricabiliter erretur*, pag. 71. col. 2. n. 1.
38. *Articulos Apostolico calculo probatos, multiplicibus notis stigmaticis infamans*, pag 73. col. 2 n. 3.
39. *Audax damnator doctrinæ, manifestè (si D. Thomæ creditur) veræ*. pag. 75.
40. *Doctrinæ Concil. Trid. quam ne Calvinus quidem negat, improbator*, pag. 77.

41. Ab

41. *Ab Augustini mente alienißimus*, pag. 79.
42. *Frivolus expositor*, pag. 92.
43. *Suppositioni Concilij Trid. in terminis cōtradicens*, pag. 93. col. 2. n. 3.
44. *Notis omnibus & consequentijs fucum faciens*, pag. 102.
45. *Fallax ponderator*, ibidem.
46. *Fraudulentus ratiocinator*, ibid.
47. *Non alijs armis Iesuitas impugnans, quàm quibus hæretici Catholicos impugnant*, ibid.
48. *Calvino minus benignus*, pag. 116. col. 2.
49. *Hæreticos suo calculo absolvens*, pag. 118.
5 . *Catholicos Doctores omnium gentium, ac sæculorum damnans*, ibid.
51. *Dogmatum ab Heterodoxis vicinis, fortè, propinatorum sub specioso Augustini titulo prætextor.* ibid.
52. *Insolenter iactabundus*, pag. 119.
53. *Superbus insultator*, ibid.
54. *Orthodoxos Patres hæreseos insimulans*, ibib.
55 *Augustinum novitatis insimulans*, ibid.
56. *Coniunctißimorum Catholicæ Ecclesiæ filiorum divisor*, ibid.
57. *Eiusdem spiritus cum Calvino*, ibid.
58. *Calvino tantum non immodestior*, pag. ibid.
59. *Authoritatis SS. Patrum extenuator*, ibid.
60. *Censoriæ potestatis usurpator*, 120.
61. *Arte Batavicá (coniice hinc cur in præfatione signanter notaverint eum fuisse Hollandū) eodē vento in Orientē & Occidentē navigans*, ibid.
62. *Communem & veram doctrinam, hæreseos damnans*, ibid.
63. *Augustini in omnem formam pro libitu transformator.* ibid.
64. *Augustinum suo pede metiens*, ibid.
65. *Insolens debuccinator*, pag. 121.
66. *Thraso*, ibid.
67. *Impostor*, ibid.
68. *Malæ, peioris, pessimæ fidei*, ibid.
69. *Augustinum nihilo meliore, quam pessimâ tractans fide*, ibid.
70. *Augustinum cum pluribus doctißimis Scriptoribus uno ictu iugulans*, pag. 122.
71. *Oculatißimus*, ironicè tamen, ibid.
72. *Cæcutiens*, ibid.
73. *Famulitrisibi calliditate, tenebras in re clara offundens*, ibid.
74. *Fallere nitens*, ibid.
75. *Una sepia Doctores Societatis denigrans*, ibid.
76. *Augustino pro libitu abutens*, ibid.

77. Mani-

77. *Manifestus impostor*, pag. 123.
78. *Conglobator calumniarum*, ibid.
79. *Hallucinator*, ibid.
80. *Novus Censor*, ibid.
81. *Propositionum à seipso eviratarum resuscitator*, ibid.
82. *Astu se muniens adversus Patres*, ibid.
83. *Dissolvendis rationibus Philosophicis, & Scholastico-Theologicis impar*, ibid.
84. *Modernis sectarijs non absimilis*, ibid.
85. *Philosophiæ mastix*, pag. 124.
86. *Temerarius iudicator*, ibid.
87. *Summorum pontificum definitionibus non acquiescens.* ibid.
88. *Scholasticæ theologiæ fastuosus contemptor*, ibid.
89. *Argumentorum scholastico-Theologicorum ludificator*, ibid.
90. *Theologorum invidiosus criminator*, ibid.
91. *Gravis calumniator*. ibid.
92. *Eximiè audax*, ibid.
93. *Solus sobriè sapiens*: per ironiam, ibid.
94. *Doctrinæ Maximorum Theologorum vellicator*, ibid.
95. *suæ doctrinæ mirificus deprædicator*, ibid.
96. *Magnus Tiresias, cæteras velut umbras despiciens*, ibid.
97. *Magisterium Charitatis fictè sibi arrogans*, ibid.
98. *Impotentis styli*. ibid.
99. *In modo scribendi effrenis*, ibid.
100. *Dogmatum suorum præfidens effutitor*, ibid.

Conferat Lector prædicta jacula in Iansenij caput vibrata, cum jaculis Iansenianis in Scriptores Societatis contortis; & judicet 1°. an Conditores Thesium moderamen inculpatæ tutelæ excesserint? 2°. an censendi sint ij, qui tam cruda maledicta eructarunt, fervere intrinsecùs *Christianæ charitatis igne, quo possint, & soleant convicia, sarcasmos, maledicta, omne denique infamiæ genus nomini suo aspersum concoquere?* 3°. Esto, in Calumnia hæreseos non sit obmutescendum, quemadmodum exemplo Agathonis edoctos se affirmant; an ab Agathone didicerint, objectas hæreses (ut summùm materiales) tam densâ conviciorum grandine à se amoliri? *Non omnis error hæresis est*, c inquit Augustinus. Illos quippè solos, *qui in Ecclesia Christi morbidum aliquid, pravumque sapiunt, & correcti, ut sanum rectumque sapiant, resistunt contumaciter, suaque pestifera & mortifera dogmata emendare*

c In præfat. lib. de hæres. ad Quod vult D.

f Lib. 18. de Civit. cap. 51. *dare nolunt, sed defensare persistunt*; hæreticos reputat idem. f Qui verò ignoranter malè sentiendo adversantur Catholicæ veritati, eruditiorum sapientiam exercent; sed si absit pertinacia (quam scriptoribus Societatis nusquam Iansenius impingit, imo disertè nonnumquam removet g) salva est integritas fidei. 4°. inquirat, an Author nuperi AD REM, AD REM, in schola (ut ait) Augustini Hipponensis enutritus, meminerit, utrum eamdem scholam confrequentaverint Conditores Thesium, eo præsertim die, quo Augustinus librum tertium contra Petilianum auspicatus est, ubi hæc verba (ad quæ AD REM ISTA respexisse videtur) dictavit. *Ego quando cuiquam, vel dicendo, vel scribendo respondeo, etiam contumeliosis criminationibus lacessitus, quantum mihi Dominus donat, frenatis atque coërcitis vanæ indignationis aculeis, auditori, Lectorive consulens, non ago, ut efficiar homini conviciando superior, sed errorem convincendo salubrior: si enim qualecumque cor habent, qui ea, quæ scripsisti, considerant, quid tibi profuit ad causam, quæ inter nos agitur; quod relicto negotio quodammodo publico, privatâ quadam simultate hominis unius vitam maledictis opprobrijs insectatus es, quasi homo ille sit causa, quæ inquiritur?* Si Conditores Thesium, eo, quem dixi, die, Augustinianæ lectioni interfuerint, hoc est, si unquam locum istum Augustini pervoluerint; mirum est, eos à rependendis maledictis non abstinuisse. Forte eo die declinarunt à Scholâ Augustini, & ad *humilem S. Ignatij officinam* à REGESTORE TELORVM in suo MEMORIALI commemoratam, h diverterunt. Nolo sanè eorum diverticulis investigandis nimiùm immorari: hoc saltem ausim affirmare, numquam eos fuisse in ulla schola, in qua documentum istud ex Augustino relatum, & ab ipso usitatum, fuerit edoctum, eo saltem docendi modo, de quo alibi Augustinus: i *hoc docendi modo, quod quisque didicerit, non tantum cognoscendo videt, sed etiam volendo appetit, agendoque perficit*; prout perspicuè patet ex Catalogo conviciorum superiùs contexto.

g Tom. 1. lib. 8 cap. 9 in fine.

l. 3. cont Petil â. cap. 1.

h Memorial. pag. 5.

i Lib. de grat. Christi cap. 14.

Prodijt non adeò pridem in Germania Libellus quidam sub nomine *Eugenij Lavanda* (Qui postmodum deprehensus est esse *P. Laurentius Forerus Societatis Iesu*) contra *Astrum inextinctum Romani Haij* Religiosi Benedictini, delatusque ad Vniversitatem Viennensem, Academico Edicto proscriptus est, tum ob alias causas, (*Thesibus* Anti-Iansenianis communes) tum etiam quod quàm plurimas contumelias & scommata in prædictum *P. Romanum* conti-

contineret. Edicti istius, apud *Gregorium Gelbhaar Viennæ* editi, exemplar per Amicum ad nos transmissum, hoc loco inspiciendum exhibemus.

CONDEMNATIO ET PROSCRIPTIO

Infamis Libelli, qui sub fictitio nomine Eugenij Lavandæ contra Astrum inextinctum prodijt, Anno 1640.

N*Omine Magnifici Domini Rectoris, & Venerabilis Consistorij celeberrimæ ac antiquißimæ Vniversitatis Viennensis*, R. P. *Romano Hay, Ordinis S. Benedicti Ochsenhusano ex officio insinuandum. Cum nobis Libellum, qui sub nomine Eugenij lavandæ Ninevensis*, Notę astrũ inextinctum Fr. Romani Hay suis radijs interstinguentes, *inscribitur, exhibuerit, & ut eumdem, utpote damnatũ & reiectum declararemus, supplicaverit; quem libellum certis, tam ex facultate Theologica, quam Iuridicâ Deputatis Dominis Commissarijs revidendum commisimus: illunc ydem omni studio & diligentia perlegerunt, & desuper Nobis votum suum exposuerunt; ex quorum siquidem relatione exhibita cùm constet abundè, tum quòd suppresso nomine proprio, loci & typographi, ac nulla exhibita facultate superiorum, aut Ordinarij loci, adeoque contra decreta Concilij Lateranensis & Tridentini, atque constitutiones Imperij sit impressus: tum etiam quod quàm plurimas contumelias & scommata in eumdem P. Romanum, aliosque viros Religiosos contra bonos mores, & debitam modestiam contineat. Idcirco desuper habitâ deliberatione prædictum schediasma, seu Libellum Eugenij Lavandæ, ipso facto, tanquam sacris Concilijs, Imperialibus Constitutionibus, ac bonis moribus, debitæque modestiæ contrariantem, velut damnatum, reiectum, ac proscriptum declaramus, & in hunc finem decreta tam Bibliopolis, & Bibliopegis, quàm etiam Typographis, transmisimus, quatenus sæpèdictum Libellum, velut à nobis totaliter damnatum, reiectum, & prohibitum, sub irremißibili pæna triginta Imperialium, & confiscatione librorum non reimprimant, aut venalem exponant, neque retineant, sed quamprimum ad manus Magnifici Domini Rectoris, & Venerab. consistorij exponant. Quod Magnificus Dominus Rector, & Venerab. consistorium ipsi R. P. Romano Hay duxit ex officio intimandum. Ex Consist.* 10. *Mensis septemb. Anno* 1640.

(L.S)

IOANNES KIRCHSTETTER I. V. D. Vniversitatis Viennensis Syndicus, & Notarius Iuratus, m. p.

Hanc vocalem famosi istius libelli condemnationem secutura putatur realis exustio ejusdem solenniter per manum Tortoris, de qua re institutus dicitur processus (detecto demùm vero Authore) in Imperiali Curia Spirensi. Librum hactenus non vidi, ab ijs tamen, qui viderunt, intellexi, longè modestiorem esse *Thesibus* Anti-Iansenianis, attentâ præsertim *Iansenij* dignitate Episcopali, quâ destituitur is, cujus ibi fama denigratur. Speramus providè, superiorem aliquam authoritatem interposituram se ac tam illustre exemplum Academiæ Viennensis imitaturam, quo improbis præcidatur ansa præcludaturque via criminandi impostetùm viros in tam præcelsa dignitate constitutos. Mirantur non pauci nimiam patientiam Prælatorum Belgicorum, potissimum Episcoporum, quorum status universim in uno Iansenio impetitur. Massilienses in Gallia tumultuantes & Augustino pridem defuncto immodicè insultantes, per Gallicanos Antistites non fuisse repressos, cum indignatione miratus est olim Papa k Celestinus. *Nec mirari possumus*, inquit, *si hæc erga viventes hi nunc tentare audent, qui nituntur etiam* QVIESCENTIVM FRATRVM MEMORIAM DISSIPARE.

k Epist. ad Epis. Gall. cap. 1.

Sed bene interim habet, quod quemadmodum, Augustino l teste, *malam conscientiam non sanat præconium laudantis, ita nec bonam convulnerat opprobrium conviciantis. Bene quod malitia* (inquit Hieron ad Ruffinum m) *non habet tantas vires, quantos conatus; perierat innocentia, si semper nequitiæ juncta esset potentia, & totum quidquid capit calumnia, prævaleret.* Invulnerabile est, non quod non feritur, sed quod non læditur: Quomodo nec secari Adamas, aut deteri potest, sed incurrentia ultro retundit: quemadmodum Marpessiæ cautes mare frangunt, nec ulla sævitiæ vestigia ostentant; ita firma & inconcussa stat Iansenij fama. Tumidus Xerxes Cælo minitans ac Terræ, multitudine telorum diem obscurasse legitur, sed nulla sagitta incidit in Solem. Frustra in Iansenium livore torquentur Moliniani: Frustra Eruditorum & Imperitorum animos adversus eum concitare contendunt. Nota est Iansenij fides, vitæ integritas, Religionis Zelus, Animi candor, & constantia: nota, inquam, non tamen eo modo, quo Thesistæ calumniantur, n dum aiunt: *Numquid ergo quod apud Hispanos, & ubique in Christianis Academijs adeò exceptum, è Massiliensium prodijt schola?* SED IAM NOTA FIDES IANSENII; sed eo modo, quo nota debet esse fides, & ceteræ virtutes illius, qui in

l Lib. 3. contra Petiliã. cap. 7.

m Lib. 3. cap. 7.

n Pag. 43.

floren-

florentissima Universitate ad supremam in Theologia Lauream advehitur; Insigni Collegio Theologorum, Apostolicis functionibus destinandorum, præficitur; binâ deputatione pro gravissimis Academiæ negotijs in Hispaniam mittitur; sacrarum litterarum Professoratu à Catholica Majestate donatur; ad Episcopale munus a Viris Illustrissimis & Primarijs, idoneus judicatur; eoque nomine Principi nostro Serenissimo commendatur; ab eodem, Pontifici Summo Christi in terris Vicario confirmandus nominatur; à Sanctissimo Domino nostro, præmissis debitis scrutinijs confirmatur; ab Archi-Præsule Mechliniensi Belgij Primate, alijsque Episcopis ritè consecratur; in administratione Episcopatus adeò à probis omnibus deprædicatur, ut eo è vivis sublato, non dubitaverint eum inter eos recensere, de quibus o Apostolus ait, *quibus dignus non erat mundus*: qui non solum in extremo penè vitæ momento, sed passim in toto suo Augustino, summam venerationem erga Matrem suam Catholicam Ecclesiam, ejúsque Caput Romanum Pontificem, testatam facere non dubitavit: Videatur super hoc ejus Testamentum tomo primo præfixum: Videatur caput 29. libri procemialis tomi secundi, ubi hæc occurrent Lectori: *Mihi constitutum est, eamdem, quam ab infantia secutus sum, sensuum meorum ad extremum spiritum usque, ducem sequi Romanam Ecclesiam; & Beatissimi Petri in Romana Sede successorem. Super illam Petram fundatam Ecclesiam scio. Quicumque cum ipso non colligit, spargit: apud quem solum incorrupta Patrum servatur hæreditas. Quidquid ab ista Petri Cathedra, in cujus communione à teneris vixi, & porro vivere, & mori fixum est, ab isto principis Apostolorum successore, ab isto Christi Domini nostri Vicario, ab isto Ecclesiæ Christianæ universæ Capite, moderatore; Pontifice præscriptum fuerit, hoc teneo; quidquid improbatum improbo; damnatum damno; anathematizatum anathematizo.* Quid quæso ampliùs desiderare ab illo posset, vel ipsa Cæcitas, ut non dicam, malignitas? hic est ille, qui (sep Conditoribus Thesium creditur) *Catholicæ Ecclesiæ conjunctissimos filios dividit. Quo spiritu? quo apud Ruardum art. 8. Calvinus.* Volunt nihilominus persuadere adhuc hominibus, se non eum appellasse hæreticum, nisi forte materialem; quasi non plus imponeret *spiritus calvini.*

o Hebr. 11.

p Pag. 119.

Sed quid dicam de myrmidonicis eorum insultationibus, quibus non minùs ignaviter ei jam defuncto obstrepunt, quam Myrmidones Hectori ante Troiam occiso, unde ortum illud Proverbiale dicterium ex Homero desumptum, *Lepores insultant Leoni*

q Pag. 41. *mortuo. Aperi hic oculos Ianſeni* (aiunt) q *& lege in D. Thoma, quod negat,* AUXILIUM SUFFICIENS: *& ſi potes, erubeſce.* r Item, *Lege.*
r Ibid. *Ianſeni, in Scoto, altero ſcholaſticorum Principe, Adiutoria ſufficientia: & noli deinceps ita præſidenter negare, quod non legiſti.* Item: s *Eat nunc*
s Pag. 122. *& iactet Ianſenius* &c. Quid illud referre attinet, quod de *umbris Ianſenianis* in pleno auditorio effutitum eſt? Nempe Ianſenius carpitur tanquam MAGNUS TIRESIAS cæteros velut umbras deſciens: & illi ab iſto pliniano dicterio immunes erunt:

Contra mortuos non niſi larvæ luctantur?

Scio, non deeſſe qui hujuſmodi eorum inſultationes aſſimilent inſultationibus Iudæorum obſtrepentium Chriſto crucifixo. Notarunt etiam nonnulli, ad expreſſiorem hujus aſſimilationis congruentiam ſervire tempus Anti-Ianſenianis diſputationibus præſtitutum, erat enim tempus Quadrageſimale, menſis Martius, ſeptimana Paſſionis, feria ſexta: Præceſſerat biduo ante, hoc eſt feria quarta, datio ſigni, hoc eſt affixio programmatum ad valvas, portas, angulos platearum, idque noctu. Totum ſic ordinatum in Concilio inito in Flandria tempore vacantiarum Autumnalium, ubi convocatis undique Patribus conſcriptis diligenter inquiſitum fuit, quomodo Ianſenium perderent. Quæ omnia aliis ruminanda minutiùs relinquimus; & ad Auguſtini, ac Diſcipulorum ejus mentem elucidandam, circa ſenſum illius Scripturæ, *Deus vult omnes homines ſalvos fieri*, tandem aliquando tranſimus.

Auguſtinum uſque ad exordium ſui Epiſcopatus adhæſiſſe errori, quem poſtmodum amplexi ſunt Maſſilienſes, ipſemet teſtatur: t In exordio autem Epiſcopatus, dum Quæſtionibus Simpliciani Mediolanenſis Epiſcopi reſponderet, *divinâ* (ut ipſe, ibidem ait) *revelatione* edoctus, reſipuit. Auguſtinum itaque Semi-Pelagianizantem adverſariis ultrò concedimus, prout & Gallos, ejuſdem erroris, circa finem vitæ Auguſtini reſuſcitatores: Reſipiſcentem, & priſtinum ſuum errorem in Pelagianis & Semi-Pelagianis confutantem, ut ipſi nobis concedant, neceſſe eſt; niſi fortè perſpicuis teſtimoniis, tam ipſius, quam diſcipulorum ejus attendere nolint. Sex itaque argumenta proferemus, ex quibus non dubitamus, quin, quiſquis non eſt nimis contentioſus, aut præcipitatis ſuis opinionibus plus æquo affixus, intellecturus facilè ſit, Auguſtinum numquam ab initio ſui Epiſcopatus uſque ad vitæ exitum, ſenſiſſe, Deum poſt lapſum humani generis præviſum

t Lib. de Præd. SS. c. 4. Et de bono Perſev. c. 20.

visum, habuisse voluntatem generalem, salvandi omnes omnino homines, tam reprobos, quam Electos. Ium argumentum petitur ex eo, quod toties Adversarij istum sensum ab Augustino extorquere contenderint, nec unquam potuerint. II. ex eo quòd Augustinus, varios alios sensus Apostolicæ sententiæ, *Deus vult omnes homines salvos fieri*, assignaverit, ubi Adversariorum cavillationibus respondebat; istum vero sensum non modo nón assignaverit, sed tanquam perspicuæ veritati adversum rejecerit. III. ex eo quòd toties disertissimè pronunciet, Deum non velle omnes omninò homines salvos fieri. IV. ex eo, quòd non solum Augustinianæ doctrinæ Adversarij, sed etiam fidelissimi sectatores, eam fuisse Augustini mentem agnoverint. V. ex eo quòd Augustinus apertissimè & constantissimè negaverit, Christum fuisse pro omnibus omninò hominibus crucifixum. VI. ex confessione recentiorum, præsertim Molinæ, qui licet oppositam sententiam operosissimè sustineat, ingenuè tamen fatetur, Augustinum sibi Adversari. De hoc ultimo satis in superioribus diximus. De penultimo agetur Ex professo These sequenti.

Primum itaque argumentum est: Pelagiani & Semi-Pelagiani pertinacissimè contenderunt, Deum velle omnes omninò homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, prout in superioribus ostendimus; Apostolicumque testimonium Augustino velut telum fortissimum objecerunt. u Quid vero Augustinus ijs responderit videamus. *Ponis* (ait) *Apostolicum testimonium, & ab eo dicis pulsantibus aperiri, qui omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire; ut videlicet intelligamus*, DOCENTIBUS VOBIS, *ideo non omnes salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, quia ipsi nolunt petere, cum Deus velit dare: nolunt quærere, cum Deus velit ostendere: nolunt pulsare, cum Deus velit aperire.* Ecce telum Pelagianum: vide quale scutum Augustinus opponat. *Hunc sensum vestrum*, inquit x, *Infantes illi suâ taciturnitate convincunt; qui nec petunt, nec quærunt, nec pulsant; imo etiam, cum baptizantur, reclamant, respuunt, reluctantur; & accipiunt tamen, & inveniunt, & aperitur eis, & intrant in regnum* DEI, *ubi sit eis æternitatis salus, & agnitio veritatis, longè pluribus infantibus in istam gratiā non adoptatis ab eo, qui vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionē veritatis venire. Quibus dicere non potest*, VOLUI ET NOLUISTIS; QUIA SI VOLUISSET, *quis eorum, qui nondum habent voluntatis suæ arbitrium, voluntati eius omnipotentissimæ restitisset?* Ecce, quomodo Augustinus Apostolico testimonio in sensu Pelagianorum

u Lib. 4. contra Iulian. c. 8. epistolis Prosp. & Hilar ad Aug.

x Ibid.

lagianorum intellecto de omnibus omnino hominibus, opponit manifestissimam experientiam desumptam ex parvulis: nunc vide paulisper, quomodo ipse contrariam suam expositionem, cum Apostolico testimonio veraciter intellecto, conciliet. *Cur ergo*, inquit, *non sic accipimus, quod dictum est, qui omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, quomodo & illud accipimus, quod idem dixit Apostolus, per unius iustificationem in omnes homines in iustificationem vitæ?* Quod quomodo intelligendum sit, Augustinus

z lib.de nat.& grat.c. 41. explicat, [z] Hæresiarchæ Pelagij argumento respondens. *Sicut dictum est* (inquit) *sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, ut nullus prætermitteretur: sic & in eo, quod dictum est, per unius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ, nullus prætermissus est: non quia omnes in eum credunt, Et Baptismo eius abluuntur. sed quia nemo iustificatur, nisi in eum credat, & Baptismo eius abluatur. Itaque, omnes, dictum est, ne aliquo modo alio præter ipsum quisquam salvus fieri credatur. Sicut enim uno litterarum magistro in civitate constituto, rectissimè dicimus, Omnes iste hic litteras docet: non quia omnes cives litteras discunt, sed quia nemo discit, nisi quem ille docuerit: sic nemo iustificatur, nisi quem iustificaverit Christus.* Et alibi: a. *Itaq; sicut per unius delictum in omnes homines in*

a Epi.89 *condemnationem, de qua condemnatione parvuli per Sacramentum Baptismi liberandi sunt; ita per unius iustificationem, in omnes homines in iustificationem vitæ. Et hic, Omnes, dixit & ibi, non quia omnes homines veniresnt ad gratiam iustificationis Christi, cum tam multi alienati ab illa, in æternum moriantur: Sed quia omnes, qui renascuntur in iustificationem, non nisi per Christum renascuntur; Sicut omnes, qui nascuntur in condemnationem, non nisi per Adam nascuntur. Nemo quippe est in illa generatione, præter Adam; nemo in ista regeneratione præter Christum: ideo omnes, & omnes, eosdem autem etiam multos postea dixit.* Et alibi: b. *ideo & ibi om-*

b lib.6. cont. Iul.c.1. *nes, & hic omnes, quia nemo ad mortem, nisi per illum, nemo ad vitam, nisi per ipsum.* Et rursus alibi: c *Sicut illud quod dictum est, Omnes in Christo vivificabuntur, cum tam multi æterna morte puniantur, ideo dictum*

c Epist. 107. *est, quia omnes, quicunque vitam æternam percipiunt, non percipiunt nisi in Christo: ita quod dictum est, Omnes homines vult Deus salvos fieri, cum tam multos NOLIT salvos fieri, ideo dictum est, quia omnes, qui salvi fiunt nisi ipso volente, non fiunt.* Alibi expositionem hanc confirmat ex simili locutione Evangelistæ Ioannis dicentis de Christo: *Erat*

Io.1 9. *lux vera illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum. Cum*

d Ench. c. 103. *audimus* (inquit [d]) *& in sacris litteris legimus, Quod velit omnes homines sal-*

nes salvos fieri: quamvis certum sit nobis, non omnes homines salvos fieri, non tamen ideo debemus, omnipotentissimæ Dei voluntati aliquid derogare, sed ita intelligere, quod scriptum est, qui vult omnes homines salvos fieri, tanquam diceretur, nullum hominem fieri salvum, nisi quem salvum fieri ipse voluerit: NON QVOD NVLLVS SIT HOMINVM, NISI QVEM SALVVM FIERI VELIT, *sed quod nullus fiat, nisi quem velit, & ideo sit rogandus, ut velit,* QVIA NECESSE EST FIERI, SI VOLVERIT. *De orando quippè Deo agebat Apostolus, ut hoc diceret: sic enim intelligimus id, quod in Euangelio scriptum est, Qui illuminat omnem hominem: non quia nullus est hominum, qui non illuminetur, sed quia, nisi ab ipso, nullus illuminatur.* Quam expositionem istius loci Euangelici tradit etiam lib. de peccat. merit. cap. 25.

Nec aliud Augustinus respondit Semi-Pelagianis, adversus quos circa finem vitæ suæ scripsit libros duos, unum de Prædestinatione Sanctorum, alterum de Bono Perseverantiæ rogatus per litteras à Prospero & Hilario. ut hinc videas immobilem constantiam Augustini, in non admittendo extensionem salvificæ voluntatis Dei, ad omnes omninò homines post lapsum Adæ. Cum in epistola Prosperi vehementer contenderent Massilienses, *Bonitatem Dei in eo apparere, si neminem repellat à vita, sed* INDIFFERENTER VNIVERSOS *velit salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire,* Augustinus libro de Prædestinatione Sanctorum, e ut hoc eorum jaculum, ex Apostolico testimonio perperàm intellecto depromptum, retunderet; Clypeum ex Euangelio Ioannis sumit; ubi similis locutio reperitur, ab Isaia Propheta anteà usurpata, *Erunt omnes docibiles Dei*, cum tamen certum sit, non omnes omnino à Deo doceri. *Est scriptum in Prophetis* (inquit) *Erunt omnes docibiles Dei. Omnis, qui audivit à Patre & didicit, venit ad me. Quid est, omnis qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me: nisi, nullus est, qui audiat & discat à Patre, & non veniat ad me? Si enim omnis qui audivit à Patre, & didicit, venit: profecto omnis, qui non venit, non audivit à Patre, nec didicit: nam si audisset, & didicisset, venisset. Neque enim ullus audivit, ac didicit & non venit: sed omnis (ut ait veritas) qui audivit à Patre, & didicit, venit. Valde remota est à sensibus carnis hæc Schola, in qua Pater auditur, & docet, ut veniatur ad filium. Ibi est & ipse filius, quia ipse est verbum ejus, per quod sic docet, nec agit hoc cum carnis aure, sed cordis. Simul est & ibi Spiritus Patris, & filij: ne que enim ipse non docet, aut separatim docet, inseparabilia quippè didicimus esse opera Trinitatis. Et ipse est utique Spiritus Sanctus, de quo Apostolus dicit, Habentes autem eundem spiritum fidei.* e cap. 8.

Sed ideo Patri hoc potissimùm est attributum, quia de ipso est genitus Unigenitus, & de ipso procedit Spiritus Sanctus, unde longum est enucliatiùs disputare, & de Trinitate, quæ Deus est, laborem nostrum in quindecim libris, ad vos iam existimo pervenisse. Valde, inquam, remota est a sensibus carnis hæc schola, in qua Deus *auditur & docet. Multos venire videmus ad Filium quia multos credere videmus in Christum, sed ubi, & quomodo à Patre audierint hoc, & didicerint, non videmus. Nimirum Gratia ista secreta est; Gratiam verò esse, quis ambigit? Hæc itaque Gratia, quæ occultè humanis cordibus, divinâ largitate tribuitur, à nullo duro corde respuitur: Ideo quippè tribuitur, ut cordis duritia primitùs auferatur. Quando ergo* Pater *intùs auditur, & docet, ut veniatur ad Filium, aufert cor lapideum, & dat cor carneum, sicut Propheta prædicante promisit. Sic quippè facit filios promissionis, & vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam. Cur ergo non omnes docet, ut veniant ad Christum, nisi quia omnes, quos docet, misericordia docet; quos autem non docet, iudicio non docet: quoniam cuius vult, miseretur, & quem vult, obdurat: sed miseretur, bonum tribuens: obdurat digna retribuens. Aut si & ista, ut quidam distinguere maluerunt, verba sunt eius, cui* Apostolus *ait:* Dicis *itaque mihi ut ipse dixisse accipiatur: ergo cuius vult, miseretur, & quem vult, obdurat, & quæ sequuntur, id est, Quid adhuc conqueritur: nam voluntati eius quis resistit? Numquid responsum est ab Apostolo: O homo, falsum est, quod dixisti? Non. sed responsum est: O homo, tu quis es, qui respondeas* Deo*? Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit: quare sic me fecisti? An non habet potestatem figulus luti ex eadem facere massa, & sequentia, quæ optimè nostis? Et tamen secundùm quemdam modum, omnes* Pater *docet venire ad suum Filium. Non enim frustra scriptum est in Prophetis: Et erunt omnes docibiles* Dei. *Quod testimonium, cùm præmisisset, tunc subdidit: Omnis qui audivit a* Patre, *& didicit, venit ad me. Sicut ergo* INTEGRE *loquimur, cùm de aliquo litterarum Magistro, qui in civitate solus est, dicimus: omnes iste hic litteras docet: non quia omnes discunt, sed quia nemo, nisi ab illo discit, quicumque ibi litteras discit. ita* RECTE *dicimus, omnes* Deus *docet venire ad Christum: non quia omnes veniunt, sed quia nemo aliter venit. Cur autem non omnes doceat, aperuit* Apostolus*, quantum aperiendum iudicavit: quia volens ostendere iram, & demonstrare potentiam suam, attulit in multa patientia vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam. Hinc est, quod verbum Crucis prætereuntibus stultitia est: his autem, qui salvi fiunt, virtus Dei est. Hos omnes docet venire ad Christum* Deus, HOS OMNES VULT SALVOS FIERI, *& in agnitionem veritatis venire.*

Atque hæc Cygnea Beatissimi senis, ac invictissimi defensoris Gra-

ri Gratiæ voce, primum argumentum maneat terminatum.

Secundum argumentum: Quamvis Augustinus multiplices Apostolici testimonij expositiones tradiderit, nusquam post purgatum errorem de initio salutis ex nobis, Adversariorum interpretationem arripuit, quinimò disertissimè, tanquam perspicuæ veritati adversam rejecit. Prima expositio Augustino satis familiaris est illa, juxta quam vocula, *homines*, distribuitur quodammodo negativè, ut sensus sit, Deus ita vult homines salvos fieri, ut nullus homo salvus fiat, nisi quem salvum fieri voluerit. Secunda expositio cùm prima coincidit materialiter, licet formaliter differat, eo quod sensum exhibeat affirmativum, prima verò quodammodo negativum: juxta hanc igitur expositionem vocabulum (*homines*) distribuitur commodè, pro ijs nimirum, qui salvantur: sensus igitur erit, Deus vult salvari omnes homines, qui salvantur: velut cùm dicitur supremum cælum tegere omnia, utique quæ teguntur: aut cùm Physici dicunt, omnia fieri ex principijs, utique quæ fiunt. Vtraque hæc expositio elucet in locis ex Augustino adductis in primo argumento, ubi & quatuor alia Scripturę loca, simili modo exponenda occurrunt. Primus est Apostoli Rom. 5. 18. *Per unius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ.* Secundus ejusdem Apostoli 1. Cor. 15. 22. *Omnes in Christo vivificabuntur.* Tertius Ioannis Euangelistę. [f] *Erat Lux vera quæ illuminat omnem hominem.* Quartus ejusdem Euangelistæ [g] *Erunt omnes docibiles Dei*, sive ut Propheta ab Euangelista citatus habet. [h] *Dabo universos filios tuos doctos à Domino.* Quibus accedunt exempla usitatarum apud omnes, locutionum; ab Augustino in confirmationem suæ expositionis adducta; velut cum de Ludimagistro, qui in civitate unicus est, dicitur: hic docet omnes in hac civitate: aut cum de porta, quæ unica est Templi, Collegij, aut domus, dicitur: omnes intrant templum istud, collegium, aut domum per illam portam: sic etiam dicimus, omnes intrare in Ecclesiam per Baptismum; non quod omnes omninò intrent, sed quia, quotquot intrant, per Baptismum intrant. Tertia expositio est, juxta quam vocula, *homines*, distribuitur pro generibus singulorum tantùm, ita ut dicatur Deus velle omnes homines salvos fieri, quia ex omni genere hominum quosdam salvat; quemadmodum veraciter dici solet, quod omne animal fuerit in arca Noë, quamvis multò plura animalia obruta sint aquis diluvij extra arcam, quam fuerint in

[f] Ioan. 1. 9.
[g] Ioan. 6 45.
[h] Isa. 54 13.

arca, salvata. Hanc expositionem tradit Augustinus lib. de
i Lib.de Cor. & Gratia. i *Quod scriptum est*, inquit, *quod vult omnes homines*
cor. & *salvos fieri, nec tamen omnes salvi fiunt, multis quidem modis intelligi*
grat. c. *potest, ex quibus in aliis opusculis nostris aliquos commemoravimus: sed*
14. *hic unum dicam. Ita dictum est: Omnes homines vult salvos fieri, ut intelligantur omnes prædestinati, quia omne genus hominum in eis est, sicut dictum est Pharisæis: Decimatis omne olus: ubi non est intelligendum, nisi omne, quod habebant: Neque enim omne olus, quod erat in toto terrarum orbe, decimabant. Secundum istum locutionis modum dictum est: sicut & Ego omnibus per omnia placeo. Nunquid enim, qui hoc dixit, placebat etiam tam multis persecutoribus suis? sed placebat omni hominum generi, quod Christi congregabat Ecclesia, sive iam intus positis, sive introducendis in eam.* Eandem expositionem innuit, Sermone 37. de diversis: *Habet hortus ille Dominicus (inquit) non solum rosas Martyrum, sed & lilia Virginum, & coniugatorum hederas, violasque viduarum; prorsus nullum genus hominum de sui vocatione desperet: pro omnibus passus est Christus. Veraciter de illo scriptum est, qui vult omnes homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire.* Sed clarissimè omnium in Enchiridio ad Laurentium cap. 103. ubi postquam primam & secundam expositionem superiùs à nobis traditam præmisisset, addit: *Aut certè sic dictum est, Qui omnes homines vult salvos fieri, non quod nullus hominum esset, quem salvum fieri* NOLLET, *qui virtutes miraculorum facere noluit apud eos, quos dicit acturos fuisse Pœnitentiam, si fecissent: sed ut omnes homines, omne genus humanum intelligamus per quascunque differentias distributum, Reges, Privatos, Nobiles, Ignobiles, Sublimes, Humiles, doctos, indoctos, integri corporis, debiles, ingeniosos, tardicordes, fatuos, divites pauperes, mediocres, mares, fœminas, infantes, pueros, adolescentes, iuvenes, seniores senes: in linguis omnibus, in moribus omnibus, in artibus omnibus, in professionibus omnibus, in voluntatum & conscientiarum varietate innumerabili constitutos, & si quid aliud est differentiarum in hominibus. Quid est enim eorum, unde nos Deus per unigenitum suum Dominum nostrum per omnes gentes salvos fieri homines velit, & ideo faciat, quia* OMNIPOTENS VELLE INANITER NON POTEST, QUODCUMQUE VOLUERIT.

k An non hinc vides, Augustino Dei voluntatem inaniri, si sal-
Lib.de vare quenquam velit, qui finaliter à salute excidit? Hinc alibi:
Cor.& k *Non est itaque dubitandum*, inquit, *voluntati Dei, qui in cælo & in ter-*
grat.c. *ra omnia quæcumque voluit, fecit, humanas voluntates non posse resistere,*
14. *quo minus faciat ipse quod vult, quandoquidem etiam de ipsis hominum vo-*

luntatibus

luntatibus quod vult facit. Et ibidem paulo ſuperiùs: *Cui volenti ſalvum facere, nullum hominum reſiſtit arbitrium: ſic enim velle & nolle, in volentis aut nolentis eſt poteſtate, ut divinam voluntatem non impediat, nec ſuperet poteſtatem.* Et ibidem in fine capitis: *Magis habet Deus in poteſtate voluntates hominum, quam ipſi ſuas.* Et alibi: l *Miror,* inquit, *homines infirmitati ſuæ ſe malle committere, quam firmitati promiſſionis Dei. Sed incerta eſt mihi, inquit, de meipſo voluntas Dei. Quid ergo? Tuane Tibi voluntas de teipſo certa eſt, nec times? Qui videtur ſtare, videat ne cadat. Cum igitur utraque incerta ſit, cur non homo firmiori, quam infirmiori fidem ſuam, ſpem, charitatemque committit.* Hanc Dei voluntatem ſalvandi homines, quos ſalvos fieri vult, *omnipotentiſſimam* ſubinde vocat Auguſtinus: m Neque hic quidquam juvat Adverſariorum diſtinctio de voluntate Dei efficaci, & inefficaci; hoſtes enim Gratiæ non aliam voluntatem in Deo reſpectu ſalutis omnium omnino hominum aſtruere voluerunt, quàm inefficacem; (neque enim tam ſtupidi erant, ut efficacem voluntatem Deo adſcriberent, reſpectu ſalutis omnium omnino hominum, cum optimè norint multos homines reipsâ non ſalvari, & ex altera parte non ignoraverint efficacem Dei voluntatem nulla ratione fruſtrari poſſe ſuo effectu) cum igitur Auguſtinus eam voluntatem, quam ipſi aſtruere contendebant, ſimpliciter refellerit, nulla eſt apparentia ſuſcipandi, Auguſtinum ullam ejuſmodi voluntatem in Deo agnoviſſe: alioqui unicâ ejus admiſſione operoſiſſimas diſputationes compendioſiſſimè evitaſſet.

l Lib. de prædeſt. SS. c. 11.

m Lib 4 contra Iul. c. 8.

Quarta expoſitio Apoſtolici teſtimonij ab Auguſtino nonnunquam adhibita eſt ea, juxta quam vocabulum, *homines,* plenè quidem diſtribuitur pro omnibus omnino hominibus, ſed verbum *volendi* non ſumitur propriè pro volitione aliqua Deo intrinſecâ; ſed metaphoricè, pro effectione, ſeu inſpiratione, qua Deus in nobis efficit, nobiſve inſpirat affectum ſalutis omnium hominum. Hanc expoſitionem tradit Auguſtinus libro de Correptione & Gratia capite 15. his verbis: *Ad nos ergo, qui neſcimus, quiſnam ſit filius pacis, aut non ſit, pertinet, nullum exceptum facere, nullumque diſcernere, ſed velle omnes ſalvos fieri, quibus prædicamus hanc pacem: Neque enim metuendum eſt, ne perdamus eam, ſi ille, cui prædicamus, non eſt filius pacis ignorantibus nobis: Ad nos enim revertetur, id eſt, nobis proderit hæc prædicatio, non & illi: ſi autem ſuper eum pax prædicata requieverit, & nobis & illi: Quia ergo nos, qui ſalvi futuri ſint, neſcientes, omnes,*

tes, omnes quibus prædicamus hanc pacem, ſalvos fieri velle Deus iubet: & ipſe in nobis hoc operatur, diffundendo iſtam charitatem in corda noſtra per Spiritum S. qui datus eſt nobis. Poteſt etiam ſic intelligi, quòd omnes homines Deus vult ſalvos fieri, quoniam nos facit velle, ſicut miſit Spiritum filij ſui clamantem, Abba Pater, id eſt, nos clamare facientem. De ipſo quippe ſpiritu alio loco dicit: accepimus ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater. Nos ergo clamamus, ſed ille clamare dictus eſt, qui efficit ut clamemus. Si ergo clamantem Spiritum rectè dixit Scriptura, à quo efficitur ut clamemus; rectè etiam & volentem Deum, à quo efficitur, ut velimus. Similia habet de verbo *clamandi*, & *interpellandi* epiſt. 105. ad Sixtum. Et propiùs ad rem noſtram lib. 22. de Civit. Dei. Cap. 1. Vbi ſic ait: *dicitur enim voluntas Dei, quam facit in cordibus obedientium mandatis eius, de qua dicit Apoſtolus: Deus eſt enim qui operatur in nobis & velle. Sicut enim iuſtitia Dei, non ſolum qua ipſe iuſtus eſt, dicitur; ſed illa etiam, quam in homine, qui ab illo iuſtificatur, facit: ſic & Lex eius vocatur, quæ potius eſt hominum, ſed ab ipſo data hominibus. Nam utique homines erant, quibus ait Ieſus in lege veſtrâ ſcriptum eſt, cum alio loco legamus, Lex Dei eius in corde ipſius. Secundum hanc voluntatem, quam Deus operatur in hominibus, etiam velle dicitur quod ipſe NON VVLT, ſed ſuos id volentes facit, ſicut dicitur cognoviſſe, Quod, ut cognoſceretur, facit, à quibus ignorabatur: Neque enim dicente Apoſtolo: Nunc autem cognoſcentes Deum, imo cogniti à Deo, fas eſt, ut credamus, quod eos tunc cognoverit Deus, præcognitos ante conſtitutionem mundi; ſed tunc cognoviſſe dictus eſt, quod tunc ut cognoſceretur, effecit. De his locutionum modis etiam in ſuperioribus libris memini diſputatum. Secundum hanc ergo voluntatem, qua Deum velle dicimus, quod alios efficit velle, à quibus neſciuntur futura, multa vult, nec facit.* Et ſtatim cap. ſequenti: *Multa enim volunt fieri Sancti eius, ab illo inſpirata Sancta voluntate, nec fiunt: ſicut orant pro quibuſdam piè, ſanctèque, & Quod orant, non facit, cum ipſe in eis hanc orandi voluntatem S. Spiritu ſuo fecerit, ac per hoc, quando ſecundum domini voluntatem orant Sancti, ut quiſque fit ſalvus, poſſumus illo modo locutionis dicere, vult Deus, & non facit, ut ipſum dicamus velle, quod, ut velint iſti, facit. Secundum illam vero voluntatem ſuam, quæ cum eius præſcientia ſempiterna eſt, profectò in cælo & in Terra omnia, QVÆCVMQVE VOLVIT, non ſolum præterita, vel præſentia, ſed etiam futura iam fecit.* Ex quibus videas, Auguſtinum maluiſſe ad metaphoricam locutionem recurrere, quam Deo aliquem proprium & intrinſecum voluntatis actum reſpectu ſalutis eorum, qui pereunt, impingere; cum tamen ipſe alibi pro generali do-

cumento tradiderit, in expositione Scripturæ sacræ, numquam recurrendum esse ad Metaphoram, nisi Scriptura in proprio sensu intellecta aliquod inconveniens, aut absurdum importet. Atque hæc de prima parte secundi argumenti dicta sufficiant.

Secundam partem asserentem, Augustinum post correctum errorem de initio salutis ex nobis, nusquam tradidisse expositionem Adversariorum, ipsi adversarij ultrò fateri videntur; tum quia nullum locum ex scriptis ejus post correctionem exaratis proferunt; tum quia unicus ille locus, in quo se fundant, ex libro contra Manichæos desumptus est, quem librum diu ante correctionem erroris scriptum fuisse, patet evidenter ex duobus: Primum est, librum illum ab Augustino exaratum fuisse ante Episcopatum, imo antè Presbyteratum, ut colligitur ex ipso Augustino lib. 1. Retract. cap. 10 & 14. Secundum est, Augustinum non nisi post adeptum Episcopatum, errori suo de initio salutis ex nobis, renuntiasse; cujus rei testem habemus ipsum Augustinum lib. de Prædest. SS cap. 4. *Videtis certè*, inquit, *quid tunc de fide, atque operibus sentiebam, quamvis de commendanda Dei gratia laborarem: In qua sententia istos fratres nostros*, Massilienses, *esse nunc video: quia non sicut legere libros meos, ita etiam in eis curaverunt proficere mecum. nam si curassent, invenissent istam quæstionem secundum veritatem divinarum Scripturarum solutam in primo libro duorum, quos ad Beatæ memoriæ Simplicianum scripsi Episcopum Mediolanensis Ecclesiæ S. Ambrosii successorem, in ipso exordio Episcopatus mei.* Et non longè infra: *Ecce, quare dixi superius, hoc Apostolico præcipuè testimonio etiam meipsum fuisse convictum: cùm de hac re aliter saperem, quam mihi Deus in hac quæstione solvenda, cùm ad Episcopum Simplicianum, sicut dixi, scriberem,* REVELAVIT. Et alibi: [n] *Multum miror, eos,* Massilienses, *hoc dicere, nec attendere, ut de alijs hic taceam, ipsos libros nostros, & antequam Pelagiani apparere cæpissent, conscriptos, & editos, & videre, quam multis eorum locis, futuram nescientes pelagianam heresim, credebamus prædicando gratiam, quâ nos Deus liberat à malis erroribus, & moribus nostris, non præcedentibus bonis meritis nostris, faciens hoc secundum gratuitam misericordiam suam. Quod plenius sapere cæpi in ea disputatione, quam scripsi ad Beatæ memoriæ Simplicianum Episcopum Mediolanensis Ecclesiæ, in mei Episcopatus exordio, quando & initium fidei donum Dei esse cognovi, & asserui.* Hæc ille. Augustinum verò, in libris post depositum errorem Semi-Pelagianorum scriptis, pro nobis stare, ex duobus locis superius adductis, perspicuum est: Nam scripturam

[n] Lib. de bono persev. c. 20

ram illam Ioan 1. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, non vult intelligi de omnibus omninò hominibus, sed de ijs tantùm, qui illuminantur, sic enim ait, o *Cum audimus, & in sacris litteris legimus, quod velit omnes homines salvos fieri, quamvis certum sit nobis, non omnes homines salvos fieri, non tamen ideo debemus, omnipotentissimæ Dei voluntati aliquid derogare, sed ita intelligere, quod scriptum est, Qui vult omnes homines salvos fieri, tanquam diceretur, nullum hominem salvum fieri, nisi quem salvum fieri ipse voluerit: non quod nullus sit hominum, nisi quem salvum fieri velit, sed quod nullus fiat, nisi quem velit, & ideo sit rogandus, ut velit*, QVIA NECESSE EST FIERI, SI VOLVERIT. *De orando quippè* DEO *agebat Apostolus, ut hoc diceret:* SIC ENIM INTELLIGIMVS *id, quod in Euangelio scriptum est: Qui illuminat omnem hominem:* NON QVIA NVLLVS EST HOMINVM, QVI NON ILLVMINETVR, *sed quia, nisi ab ipso, nullus illuminatur.* Item lib. 1. de Peccat. meritis, & remiss. cap. 25. *Itaque*, inquit, *illud quod in Euangelio positum est, erat lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: ideo dictum est, quia nullus hominum illuminatur, nisi ab illo lumine veritatis, quod est* DEUS. *Cur enim* (ait paulo antè) *Apostolus diceret; Nolite pueri esse mentibus, si iam illo lumine vero, quod verbum Dei est, illuminatæ sunt eorum mentes?* Hos verò libros ex quibus hæc transcripsimus, ab Augustino post correctum errorem suum exaratos & editos, fuisse, patet evidenter ex libro 2 Retract. cap. 36. 37. & 63. nec adversarij diffitentur.

o Ench. cap. 103

Nec est quod mirentur Moliniani, Iansenianos (sic Querimoniæ Zegerianæ authores agnominant) reclamare, & queri, CONTVRBARI VERBA AVGVSTINI. Iustissima quippe est eorum querela, non solum de sublatione commaticæ distinctionis (quam correctiores editiones operum S. Augustini, à Theologis Lovaniensibus repurgatæ, ita clare exhibent, ut cæcutientibus appareat, quamvis in mendosioribus, Parisiensi antiqua, & Basileensi, ad quas ipsi tanquam tutum asylum recurrunt, desideretur) sed insuper ob transpositionem malignam vocum (OMNINO) (OMNES) ut enim eis ignoscant Iansениani, ob prætermissum comma inter, OMNINO, & OMNES; Quis saltem dedit eis Privilegium prædictas voces ita conturbandi, ut cum Augustinus dicat, *verum est enim omninò omnes hoc posse*, ipsis liceat rescribere, *verum est enim omnes omninò hoc posse?* Certe nec Parisiensis, etiam antiqua, nec Basileensis editio, quantumvis corrupta, ejusmodi

modi conturbationi suffragantur, uti nec ulla alia. Quod verò dicunt, SENSUM REVERA ID REQUIRERE, falsissimum est; nisi fortè loquantur de sensu, quem ex prævijs Cerebri sui imaginationibus quispiam sibi præformaverat: Et quæso, quid aliud responderet Lutherus interrogatus, cur addiderit particulam exclusivam, tantùm, ad vocem, *fidem*, ubi sacer textus dicit, *Arbitramur hominem iustificari per fidem sine operibus legis*, quàm, sensum id requirere? Sed ut manifestiùs appareat ipsorum falsificatio, ponam hic integrum Augustini contextum, p prætermissâ etiam (ut antiquæ Parisiensi & Basileensi tantundem deferam) notâ commaticâ, ut Lector videat, quam præfidenter asseverent, sensum id requirere: *Quod verò dixi*, inquit Augustinus, *illud autem lumen non irrationabilium animalium oculos pascit, sed pura corda eorum, qui Deo credunt, & ab amore visibilium rerum, & temporalium, se ad eius præcepta implenda convertunt, quod omnes homines possunt, si velint; non existiment novi hæretici Pelagiani secundùm eos esse dictum. Verum est enim omninò omnes homines hoc posse, si velint, sed præparatur voluntas à Domino, & tantum augetur munere charitatis, ut possint. Quod hic ideo dictum non est, quoniam præsenti necessarium non erat quæstioni.* p Lib. 1. Retract. cap. 10.

Hucusque Augustinus. Ubi nota inter Augustinum & Pelagianos capitalem viguisse controversiam de viribus humanę naturę ad implendam legem, cavendumque peccatum, ut patet *Epistola* 89. 95. 107. *Item lib. de natura & Gratia, lib. de Perfectione Iustitiæ*, & omnibus pænè libris, Epistolis, ac sermonibus Augustini adversus Pelagianos. Dogma quippè de impeccantia solemnissimum apud Pelagianos fuisse, non solum ex Augustino locis citatis, sed etiam ex Hieronymo in *Epistola ad Ctesiphontem, & Dialogis contra Pelagianos*, constat, prout ex *Synodo Diospolitana*, ubi sexta Propositio Pelagio tanquam ab eo tradita, à Patribus objecta fuit ista, *Posse hominem si velis, esse sine peccato.* Hinc Augustinus lib de Nat. & Gratia cap. 43. *Verum est autem*, inquit, *quod ait*, Pelagius, *quòd Deus tam bonus quàm iustus talem hominem fecerit, qui peccati malo carere sufficeret, sed si voluisset. Quis enim eum nescit sanum, & inculpabilem factum, & libero arbitrio, atque ad iustè vivendum potestate liberâ constitutum? sed nunc de illo agitur, quem Semi-vivum latrones reliquerunt, qui gravibus saucius, confossusque vulneribus, non ita potest ad iustitiæ culmen ascendere, sicut potuit indè descendere. Qui etiamsi iam in stabulo est, adhuc curatur. Non igitur Deus impossibilia iubet, sed*

iubendo admonet, & facere quod possis, & petere, quod non possis. Iam nunc videamus unde possit, unde non possit. Iste dicit, voluntate non est, quod naturâ potest. Ego dico, voluntate quidem non est homo iustus, nec naturâ potest, sed medicinâ poterit quod vitio non potest. q *Quid ergo iam opus est in pluribus immorari, veniamus interiùs ad causã, quã in hac duntaxat Quæstione,* VEL SOLAM, VEL PÆNE SOLAM CUM ISTIS HABEMUS. *Sicut enim ipse dicit ad quod nunc agit non pertinere ut quæratur, utrũ fuerint vel sint aliqui homines in hac vita sine peccato, sed utrũ esse potuerint, vel possint: ita Ego etiamsi fuisse vel esse consentiam, nullo modo tamen potuisse, vel posse confirmo, nisi iustificatos gratiâ Dei per Iesum Christum Dominum nostrum, & hunc Crucifixum: ea quippe fides iustos sanavit antiquos, quæ sanat & nos, id est Mediatoris Dei & hominum hominis Iesu Christi, fides sanguinis eius, fides crucis eius, fides mortis & Resurrectionis eius: Habentes ergo eundem spiritum fidei, & nos credimus, propter quod & loquimur. Iste verò obiectâ sibi quæstione, in qua reverâ intolerabilis videtur cordibus Christianis, quid respondeat, attendamus. Ait enim, sed hoc est, quod multos movet, inquies, Quod non per Dei gratiam homines sine peccato esse posse defendis.* Prorsus *hoc est, quod movet, hoc est quod obijcimus. Rem ipsam dicit, hoc omninò ægerrimè sustinemus, hinc à Christianis talia disputari, eâ quam in alios, & ipsos habemus, dilectione non ferimus.* Vide plura in sequentibus. Cùm itaque Augustinus antè exortos Pelagianos scripsisset libros duos de Genesi adversùs Manichæos, in quorum primi cap. 3. scripsit ea, quæ superiùs retulimus; ut viam Pelagianis præcluderet; ea in confirmationem sui dogmatis de impeccantia, arripiendi; cùm ad retractationem librorum illorum pervenisset loco superiùs à nobis citato: *Non existiment,* inquit, *novi hæretici Pelagiani, secundum eos esse dictum: verum est enim omninò omnes homines hoc posse, si velint, sed præparatur voluntas à Domino, & tantum augetur munere Charitatis, ut possint:* ubi manifestum est, eum respexisse ad eam controversiam de viribus humanæ naturæ, quam modò retulimus inter ipsum & Pelagium exarsisse; Pelagio dicente, hominem naturâ posse servare Dei mandata: Augustino verè è contra contendente non naturâ, sed medicinâ, id est, adjutorio medicinali, quo præparatur voluntas à Domino, id fieri posse: undè citato loco Retractationum, rationem reddens, cur libro isto contra Manichæos, cùm dixisset *omnes homines posse servare mandata, si velint,* non addiderit illam clausulam, *sed præparatur voluntas à Domino,* subjungit: *quod his* (id est, in libro isto contra Manichæos) antè Pelagianorum exortum

q Cap. 44.

exortum edito) *ideò dictum non est, quoniam præsenti necessarium non erat quæstioni*; quia nimirum Pelagiani nondum erant exorti. Simile quid de Chrysostomo dicit libro I. contra Iulian. c. 6. *vobis*, inquit, *nondũ exortis securiùs loquebatur.* Neque difficultas inter Augustinum & Pelagianos versabatur circa particulam, *omnino*, addendum, vel omittendum ad vocem, *omnes*, quando dicitur, *omnes homines posse servare mandata, si velint*; sed circa vires, quibus possint homines servare mandata, an videlicet id possint per vires naturæ, an tantum per auxilium Gratiæ: Augustinus enim generaliter sostinebat, nullum prorsus purum hominem potuisse, aut posse per vires naturæ servare mandata: Pelagius è contra contendebat posse: Hinc epist. 89. respondens Augustinus ad primum articulum sibi ab Hilario transmissum, quo Pelagiani apud Syracusas dogmatizabant, *posse hominem esse sine peccato, & Dei mandata facilè custodire, si velit*, sic ait: *Isti utcunque tolerandi sunt, quando dicunt esse vel fuisse hic aliquem præter unum Sanctum sanctorum, qui nullum haberet omninò peccatum. Illud verò quod dicunt, sufficere homini liberum arbitrium ad Dominica præcepta implenda, etiamsi Dei Gratia & Spiritus S. dono ad opera bona non adjuvetur, omninò anathematizandum est, & omnibus execrationibus detestandum. Qui enim hoc asserunt, à gratiâ Dei penitus alieni sunt.*

Scopus igitur Augustini dicto loco Retract. est ostendere, quomodò id quod scripserat contra Manichæos de possibilitate implendi mandata, intelligi possit in sensu Catholico, & omninò vero, ita ut nullum subsidium Pelagianis, qui idem, sed alio sensu, dicebant, accederet. Itaque particula, *omninò*, non afficit vocem, *omnes*, sed vocem, *verum*: ut sensus sit, omninò verum est, quod dixi, omnes homines posse implere mandata si velint, neque id juvat Pelagianos dogmatizantes, posse id homines per naturam gratiâ destitutam; quia ut homines id possint, & velint, præparatur uoluntas à Domino. Nec credo, Molinianos eousque progressuros, ut imponant Augustino, quod senserit, omnium omninò hominum voluntates *augeri munere Charitatis*: nam ut taceam de multis adultis à vera fide, & religione alienis, quid portentosius fingi potest, quàm parvulorum etiam non renatorum voluntates *augeri munere Charitatis*, nisi fortasse contendant Parvulos non esse homines, nec proinde ad eos extendi illud, *omnes omninò homines*? maneat proinde illibata Theologorum Lovaniensium genuina lectio cum suo commate inter vocem,

omninò, & vocem, *omnes*: Maneant verò Moliniani (nisi tandem resipiscant) à mente Augustini, alienissimi. Desinant improperare Iansenio, quod *Arte Batavicâ in Orientem & Occidentem eodem vento naviget*, ne reponatur eis, quod Arte Lusitanicâ, id est, Molinisticâ idem ipsi faciant; quando Doctores Lovanienses mirè extollunt, ubicunque ipsis, vel superficietenùs favere videntur; quorum industriam in correctione Operum D. Augustini, tam turpiter hoc loco contemnunt.

Tertia argumenti nostri pars, quod scilicet Augustinus Molinianorum expositionem tanquam perspicuæ veritati adversam rejecerit, sufficienter ex Epistola 107. patescit: *Manifestum est*, inquit Aug. *eos qui huic resistunt tam* PERSPICVÆ VERITATI, *non intelligere, omninò, quâ locutione sit dictũ, quod omnes homines vult Deus salvos fieri; cùm tamen multi salvi non fiant, non quia ipsi, sed quia* DEVS NON VVLT: *Quod* SINE VLLA CALIGINE MANIFESTATVR *in parvulis: sed sicut illud, quod dictum est, Omnes in Christo vivificabuntur, cùm tam multi æternâ morte puniantur, ideo dictum est, quia omnes quicunque vitam æternam percipiunt, non percipiunt nisi in Christo: ita quod dictum est, omnes homines vult Deus salvos fieri, cum tam multos* NOLIT *salvos fieri, ideo dictum est, quia omnes, qui salvi fiunt, nisi ipso volente non fiunt, & si quo alio modo illa verba Apostolica intelligi possunt*, VT TAMEN HVIC APERTISSIMÆ VERITATI, IN QVA VIDEMVS TAM MVLTOS VOLENTIBVS HOMINIBVS, SED DEO NOLENTE SALVOS NON FIERI, CONTRARIA ESSE NON POSSINT. Vides juxta Augustinum, eos *perspicuæ veritati resistere*; *manifestumque esse, non intelligere eos omninò locutionem Apostolicam*, qui verba illa ad omnes omninò homines extendunt: vides *Sine ulla caligine manifestari in parvulis, multos non fieri salvos, quia Deus non vult eos salvari.* Verum Moliniani hic nodum in scirpo quæritant, prætendentes Augustinum expositionem ipsorum non excludere, siquidem dixerit, *& si quo alio modo verba Apostolica intelligi possunt*: sed cautè omittunt Augustini verba proximè sequentia, *Vt tamen huic apertissimæ veritati, in qua videmus tam multos volentibus hominibus, sed Deo nolente, salvos non fieri, contraria esse non possint.* Quis enim tam cæcus est, ut non videat expositionem ipsorum, juxta quam omnes omninò homines velit Deus salvos fieri, ita ut nullum omninò nolit salvum fieri, hic disertissimè excludi, tanquam contrariam isti *apertissimæ veritati, in qua videmus tam multos volentibus hominibus, sed Deo nolente salvos non fieri.* Itaque verba illa Augustini non

juxta

juxta sensum ipsius, sed juxta dolum suum, pro se arripuerunt; nam illi alij modi, juxta quos Augustinus indicat Apstolica verba intelligi posse, sunt modi ab ipsomet Augustino alijs in locis traditi, de quibus in superioribus diximus, eorum enim nullus *apertissimæ huic veritati* contrarius est, prout contraria est expositio Molinianorum.

Ex dictis in hoc & præcedenti puncto patet, quàm fallaciter Augustini scriptis insidientur Adversarij quo eum, VELIT, NOLIT, faciant esse Molinianum. r *Alicubi enim* (imitantes Iulianum) *mediys detractis* (commate inter OMNINO, &, OMNES,) *sententias interrumpunt: alicubi extremu non additis* (subsequentibus verbis epistolæ 107.) *decurtant*. Nonnumquam etiam (Iulianum supergressi) verborum ordinem invertunt. *Non est multùm* (ait de Iuliano Augustinus. ſ) *ut ipsa verba mea ponam, unde videant, qui hac leguht, quemadmodum scriptis meis insidieris, & qua conscientiâ, vel tardis, vel ignaris cordibus abutaris, ut ideò existiment te respondere, quia non vis tacere*. Et alibi: t *Verba mea exposuisti non iuxta sensum meum: sed iuxta dolum tuum*. Et alibi: u *prolixâ contradicendi disputatione, multum sudasti, sed non sincerasti*. Et alibi: w *pervicaciâ impudenti seu imperitiâ, quæ prius pravè dixeras non mutasti. Vbi quidem perspicuæ veritati ex aliqua parte cessisti, sed illud quod prius dixeras, delere debuisti*. Et ibidem paulò inferiùs: *in tali causa non tibi necessarius esset labor, si adesset pudor*.

r Lib. 2. de nup. & concupisc. cap. 2.

ſ Lib. 4. contra Iul. c. 8.

t Lib. 6. contra Iul. c. 5.

u Lib. 4. contra Iul. c. 9.

w Lib. 5 contra Iul. c. 4.

Tertium argumentum desumitur ex ijs locis, quibus Augustinus disertè pronuntiat, Deum non velle omnium omninò hominum salutem; quorum nonnulla in præcedentibus allegavimus, signatim ex Epist. 107. quibus similia occurrunt lib. 6. contra Iul cap. 5. *Quod multò est mirabilius*, inquit, *aliquando adoptat Deus in Filium, quem formas in utero immundißima fœminæ: & aliquando NON VVLT esse, suum filium, quem format in utero suæ filiæ. Ille quippè ad Baptismum, nescio quâ provisione, pervenit: iste repentinâ morte non pervenit. Atque ita Deus, in cuius potestate sunt omnia, fecit esse in Christi consortio, quem formavit in Diaboli domicilio: & NON VVLT ESSE IN REGNO SVO, quem formavit in templo suo. Aut si vult, cur non facit, quod vult? Non enim, quod soletis de maioribus dicere, Deus vult, & parvulus non vult: Certè hic ubi fati nulla est immobilitas, nulla fortuna temeritas, nulla personæ dignitas; quid restat nisi misericordia & veritatis profunditas*. Et alibi: x *Proinde sicut Apostolus ait: Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, qui & parvulis* quibus

x Lib. de dono Per. sever. cap. 11.

quibus vult etiam non volentibus, neque currentibus subvenit, quos ante constitutionem mundi elegit in Christo, daturus etiam eis gratiam gratis, hoc est, nullis eorum vel fidei, vel operum meritis præcedentibus: Et majoribus etiam his, quos pravidet, si apud eos facta essent, suis miraculis credituros: quibus NON VULT *subvenire, non subvenit, de quibus in sua prædestinatione occultè quidem, sed iustè aliud iudicavit.* Et alibi: z *Quocirca quoniam quòd a* Deo *nos avertimus, nostrum est, & hac est voluntas mala: quod verò ad Deum nos convertimus nisi ipso excitante atque adiuvante non possumus, & hac est voluntas bona, quid habemus, quod non accepimus? Si autem accepimus, quid gloriamur quasi non acceperimus? ac per hoc, ut qui gloriatur in Domino glorietur, quibus hoc* Dominus *donare voluerit, eius misericordia est, non meriti illorum: quibus autem* NOLUERIT, *veritatis est.* Et alibi: a *Si dixeris mihi: cur ergo non convertit omnium nolentium voluntates? respondebo: cur non omnes morituros adoptat lavacro regenerationis infantes, quorum adhuc nullas & ideo nec contrarias invenit voluntates? si hoc profundius esse perspicis, quàm ut abs te valeat inveniri, utrique nostrum profundum sit, cur & in maioribus, & in minoribus Deus velit alteri, &* NOLIT *alteri subvenire.* Et paulò inferius: *Nos autem cum vitiata originis mala merita esse dicamus, gratiâ dicimus intrare parvulum in regnum Dei, quoniam bonus est Deus: Et alium meritò non intrare, quoniam iustus est* Deus: *& in neutro esse fatum, quoniam quod* VULT, *facit* Deus.

z Lib. 2 de pec. merit. cap. 18.

a Lib. 4. contra Iul. c. 8.

Porrò qui in hujusmodi eventibus ad fortuitos casus aut dispositionem causarum secundarum ita recurrunt, ut dicant, nihil hic agere Superna divinæ Providentiæ judicia, Augustino manifestè adversantur. b *Neque enim fato cogitur Deus illis infantibus subvenire, illis autem non subvenire, cum sit utrisque causa communis: aut res humanas in parvulis non divinâ providentiâ, aut fortuitis agi casibus opinabimur, cum rationales vel damnandæ, vel liberandæ sint animæ, quandoquidem nec passer cadit in terram sine voluntate Patris nostri, qui in cælis est: aut parentum negligentiæ sic tribuendum est, quod parvuli sine Baptismo moriuntur, ut nihil ibi agant superna iudicia: tanquam ipsi qui hoc modo malè moriuntur, parentes sibi negligentes, propriâ voluntate, de quibus nascerentur, elegerint. Quid dicam, quòd parvulus aliquando antequam illi per ministerium Baptizantis succurri possit, expirat? plerumque enim festinantibus parentibus & paratis ministris, ut Baptismus parvulo detur,* Deo tamen nolente *non datur, qui eum parvulum in hac vita non tenuit ut daretur. Etiam quòd aliquando parvis Infidelium filiis potuit, ne irent in perditionem, & filiis fidelium non potuit Baptismate subveniri.*

b Lib. de dono persever. cap. 12.

subveniri. Qui denique ad distinctionem voluntatis efficacis, & inefficacis hic confugiunt, non Augustinum, sed Pelagianos & Massilienses habent Patronos, ut patet ex ijs, quæ de hac distinctione superiùs diximus, quibus & addi potest illud Augustini & Alipij epistola 106. *Dicit enim Scriptura Pharaoni, quia ad hoc te excitavi, ut ostendam in te potentiam meam, & ut annuncietur nomen meum in universa terra. Deinde ad utrumque concludens: ergo, inquit, cuius vult miseretur, & quem vult obdurat: profectò neutrum aliquâ iniquitate, sed utrumque misericordiâ & veritate: Et adhuc tamen audax movetur infirmitas, eorum scilicet qui secundum coniecturas cordis humani inscrutabilem altitudinem iudiciorum Dei scrutari conantur. Hanc quæstionem sibi ex adverso opponens Apostolus ait; dicis itaque mihi, quid adhuc conqueritur? Nam* VOLVNTATI EIVS *quis resistit? nobis hoc dictum putemus. Quid ergò aliud, quam quod respondet Apostolus respondere debemus: aut si & nos talia movent, quia & nos homines sumus, simul oportet omnes audiamus dicentem: O homo tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit, quare me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam? Hæc massa si esset ita media, ut quemadmodum nihil boni, ita nec mali aliquid mereretur, non frustra videretur iniquitas, ut ex ea fierent vasa in contumeliam. Cum vero per liberum arbitrium primi hominis in condemnationem universa defluxerit, procul dubio quod ex ea fiunt vasa in honorem; non ipsius iustitiæ, quæ gratiam nulla præcessit, sed Dei misericordiæ: quod verò in contumeliam, non iniquitati Dei, quæ absit ut sit apud Deum, sed iudicio deputandum est.*

Vides hic imprimis Apostolum in objectione sibi factâ disertissimè agere de *voluntate Dei, cui nemo resistit*: audis Augustinum dicentem, *nos debere respondere idipsum, quod Apostolus responderat: O homo tu quis es, qui respondeas Deo &c.* Vides ad salvandam justitiam ejusmodi divinæ voluntatis, qua fiunt vasa in contumeliam, Augustinum recurrere ad infectionem totius massæ humani generis. Audis eundem Augustinum liquidissimè pronunciantem, non frustrà videri, Deum fore iniquum faciendo vasa in contumeliam, si massa illa humani generis, ex qua nunc fiunt ejusmodi vasa, ita esset media inter bonum & malum ut tam esset expers malitiæ, quam bonitatis: nihil igitur alienius à mente Augustini, quam asserere, Deum, quantum est ex parte sua velle totam hanc massam perditam salvare; cum juxta Adversariorum principia, nulla foret iniquitas apud Deum, si suppositâ massâ

mediâ

mediâ, Deus tanquam Iuppiter omnibus idem, vellet voluntate inefficaci totam illam massam ad beatitudinem perducere, esto non perduceret omnes reipsà, sed quidam voluntate propriâ in Barathrum ruerent. Et sanè qui ad salvandam Dei bonitatem & æquitatem in causa humani generis, necessarium putant ejusmodi voluntatem Deo adscribere, non videntur satis perpendere gravitatem peccati originalis ex prima prævaricatione Adæ in totam massam humani generis, transfusi. Quæ profectò gravitas juxta Augustini principia toties ab ipso inculcata, adeò magna est, ut potuerit Deus justissimè totam massam nullo prorsus indè erepto, condemnare: hinc in eadem epist. 106. cum de dilectione Dei erga Iacob, & odio erga Esau tractaret: *Cum vellet Apostolus ostendere,* inquit, *cur in eis non sit iniquitas apud Deum ait: Moysi enim dicit, miserebor cui misertus ero, & misericordiam præstabo, cui misericors fuero. Quid nos hic docuit, nisi ex illa massa primi hominis, cui meritò mors debetur, non ad merita hominum, sed ad Dei misericordiam pertinere, quod quisque liberatur, atque ita non esse iniquitatem apud Deum; quia neque remittendo, neque exigendo quod debetur, iniustus est? ibi enim grata est indulgentia, ubi iusta posset esse vindicta. Et hinc evidentiùs apparet à pœna debita liberato & gratis iustificato, quantum beneficij conferatur, quod alter æqualiter reus, sine punientis iniquitate punitur.* Et infrà: *piè & veraciter creditur Deus nocentes atque impios iustificando à pœnis debitis liberare: quemquam verò immeritum, & nulli obnoxium peccato si Deus damnare creditur, alienus ab iniquitate non creditur. Vbi ergo liberatur indignus, tantò debetur maior actio gratiarum, quanto pœna iustior debebatur: ubi autem damnatur dignus, nec Misericordia nec Veritas damnatur. Quomodo, inquiunt, Esau non damnatur indignus, si non ex operibus, sed ex vocante dictum est, quia maior serviet minori? sicut enim illius nulla præcesserant opera bona, ut ad gratiam pertineret, sic nec huius mala ut ad pœnam pertinere deberet. Nulla planè in utroque opera vel bona vel mala, sed propria: uterque autem illi uni obnoxius erat, in quo omnes peccaverunt, ut omnes in illo morerentur. Quicumque ex illo uno multi in seipsis futuri erant, tunc in illo unus erant: proinde illud peccatum solius esset, si ex illo nullus exisset. Porrò autem in quo erat natura communis, ab eius vitio est nullus immunis: sed ambo qui nondum propria vel bona vel mala operabantur; rei tamen ex origine nascebantur. Laudet misericordiam, qui liberatur, non culpet iudicium qui punitur. Hic si dixerimus, quantò melius ambo liberarentur? Nihil nobis convenientius dicetur, Quàm, O homo tu quis es qui respondeas Deo?* Si itaque Deus ex parte sua habet volun-

voluntatem generalem licet inefficacem liberandi indifferenter omnes à massa perditionis, eosque in regnum suum, ubi salus æterna est, perducendi; eamque voluntatem Augustinus agnovit, quid opus erat tam operosâ disputatione bonitatem & æquitatem Dei propugnare per recursum ad infectionem humani generis, cum potuisset uno verbo adversariorum querimonias compescere, dicendo, per Deum non stare quo minus universi à massa liberentur salutemque consequantur, quandoquidem Deus ex parte sua neminem excluserit.

Sanè Prosper in responsione ad object. 8. Gallorum non veretur dicere, eos qui voluntatem Dei, quâ vult salvare homines, ad universitatem generis humani extendunt, impenetrabilem judiciorum Dei altitudinem pulsare: & Augustinus idipsum non obscurè indicat verbis illis supra cit.[s] *Et adhuc tamen audax movetur infirmitas eorum scilicet, qui secundum conjecturas cordis humani inscrutabilem altitudinem judiciorum Dei cogitare conantur.* Præterea quid facilius Augustino fuisset, quam allegatione istiusmodi voluntatis generalis inefficacis Dei, elidere objectionem Pelagiarorum toties refricatam de vitio acceptionis personarum impingendo Deo, quam tamen voluntatem nusquam allegavit, sed continuò per recursum ad infectionem generalem massæ Deum ab isto vitio purgavit. *Si quispiam*, inquit,[t] *duos habeat debitores, & alteri vellet dimittere debitum, & alterum exigere; cui vult donat, sed neminem fraudat, nec acceptio personarum dicenda est, quando iniquitas nulla est. Alioquin eis, qui parum intelligunt, potest acceptio personarum videri ubi vineæ Dominus operarijs, qui unâ horâ illic opus fecerunt, tantum dedit, quantum illis qui pertulerunt pondus diei & æstus, æquales faciens in mercede, quorum tam magna distantia fuerat in labore: sed quid respondit de hac velut acceptione personarum apud Patremfamilias murmurantibus? Amice, inquit; non facio tibi injuriam. Nonne ex denario convenisti mecum? Tolle quod tuum est, & vade, volo autem & huic novissimo dare sicut & tibi. An non licet mihi quod volo facere? An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* NEMPE HIC TOTA IUSTITIA EST, HOC VOLO: *tibi, inquit, reddidi, huic donavi, neque ut huic donarem, tibi aliquid abstuli, aut quod debebam vel minui, vel negavi. An non licet mihi facere,* QUOD VOLO? *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? sicut ergo hic nulla est acceptio personarum, quia sic alius gratis honoratur, ut alius debito non fraudetur: sic etiam cum secundum propositum Dei vocatur alius, alius non vocatur: vocato datur*

[s] Ep. 106

[t] lib. 2. ad Bon. cap. 5.

gratuitum bonum, cuius boni est vocatio ipsa principium: Non vocato redditur malum, QVIA OMNES REI SVNT EX EO, QVOD PER VNVM HOMINEM PECCATVM INTRAVIT IN HVNC MVNDVM. *Et in illa quidem operariorum similitudine, ubi unum denarium acceperunt qui unâ horâ, & qui duodecies tantum laboraverunt, qui utique secundum rationes humanas, sed vanas, pro quantitate laboris sui duodecim denarios accipere debuerunt, utique in bono coæquati, non alij liberati, non alij damnati sunt, quia & illi qui plus laboraverunt, & quòd sic vocati sunt ut venirent, & sic pasti, ut non deficerent, ab ipso patrefamilias habuerunt. Ubi autem dicitur, Ergo cui vult miseretur, & quem vult obdurat, qui facit aliud vas in honorem, aliud in contumeliam, bonum quidem immerito, & gratis datur, quia ex eadem massa est cui datur, malum verò meritò & debitum redditur,* QVIA IN MASSA PERDITIONIS MALVM MALO NON MALE REDDITVR, *& ei cui redditur, malum est, quia supplicium est: ei verò à quo redditur, bonum est, quia rectè factum eius est. Nec ulla est acceptio personarum in duobus debitoribus, æqualiter reis, si alteri dimittitur, alter exigitur, quod pariter ab utroque debetur. Sed ut id quod dicimus alicuius exempli manifestatione clarescat, constituamus aliquos ab aliqua meretrice geminos editos, atque ut ab aliis colligerentur, expositos: horum sine Baptismo expiravit unus alius baptizatus: quod hic fatum aut fortunam fuisse dicamus, quæ omninò nulla sunt? quam personarum acceptionem, quæ apud* DEUM *nulla est, etiamsi in istis ulla esse potuisset, qui utique nihil habebant, unde alter alteri præferretur, meritaque nulla propria, sive bona, quibus mereretur alius baptizari; sive mala, quibus alius sine Baptismate mori? An aliqua parentum fuerunt, ubi fornicator pater, meretrix mater? sed qualiacumque illa fuerint, non utique istis tam diversâ conditione morientibus ulla diversa, sed utrique communia. Si ergo nec fatum, quia nullæ stellæ ista decernunt; nec fortuna, quia non fortuiti casus hæc agunt; nec personarum, nec meritorum diversitas hoc fecerunt, quid restat, quantum ad baptizatum attinet, nisi gratia Dei, quæ vasis factis in honorem gratis datur, quantum autem ad non baptizatum* IRA DEI, *quæ vasis in contumeliam pro ipsius massæ meritis redditur? Sed in illo qui baptizatus est, gratiam Dei vos confiteri cogimus, & meritum eius nullum præcessisse convincimus: de illo autem sine baptismate mortuo, cur ei defuerit sacramentũ, quod & vos fatemini omnibus ætatibus necessariũ, & quid isto modo in eo fuerit vindicatum,* VOS VIDERITIS, *qui non vultis esse originale delictum. Nobis in duobus istis geminis unam procul dubio habentibus causam, difficultatem quæstionis, cur alius sic, alius verò sic mortuus est, velut non solvendo solvit Apostolus; Qui cùm & ipse de duobus*

geminis

geminis tale aliquid prop usuisset, propter quod non ex operibus. quia nondum operati fuerunt aliquid boni vel mali, sed ex vocante dictum est, Major serviet minori: Et Iacob dilexi, Esau autem odio habui: & huius profunditatis horrorem, usque ad hoc perduxisset ut diceret, Ergo cuius vult miseretur, & quem vult obdurat: sensit continuò quid moveret, & sibi verba contra licentis, quæ apostolicâ authoritate coërceret, opposuit. Ait enim, dicis itaque mihi, quid adhuc conqueritur. Nam voluntati eius, quis resistit? Respondit que ista dicenti, O homo tu quis es, qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit, quare sic me fecisti? An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere, aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam. Deinde secutus tam magnum abditumque secretum, quantum aperiendum hominibus esse iudicavit, aperuit dicens: Si autem volens Deus ostendere iram, & demonstrare potentiam suam, attulit in multa patientia vasa iræ quæ perfecta sunt in perditionem, & ut notas faceret divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam, hoc est gratiæ Dei non solùm adiutorium, verùm etiam documentum: Adiutorium scilicet in vasis misericordiæ, in vasis autem iræ documentum; in eis enim ostendit iram, & demonstrat patientiam suam, quia tam potens est bonitas eius, ut bene utatur etiam malis, & in eis facit divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quoniam quod ab ira vasis exigit iustitia punientis, hoc vasis misericordiæ dimittit gratia liberantis. Nec beneficium quod quibusdam gratis tribuitur, appareret, nisi Deus aliis ex eadem massa pariter reis iusto supplicio condemnatis, quid utrisque deberetur, ostenderet.

Quartum argumentum ex eo desumitur, quòd non solùm Augustinianæ doctrinæ adversari, sed & fidelissimi sectatores ac propugnatores, eam, quam tradidimus, fuisse Augustini sententiam agnoverint. De adversariis id liquidò constat ex Capitulis Gallorum & objectionibus Vincentianis apud Prosperum suprà, sicut & ex argumento illo mox relato de acceptione personarum, adversùs Augustinum toties objecto. Accedit quòd ex recentioribus adversariis, Molinam idipsum ingenuè confitentem superiùs audiverimus. De Sectatoribus ac Propugnatoribus Augustinianæ doctrinæ idem patet 1°. in Hilario, qui in Epistola ad Augustinum præfixa libris de Præd. Sanctorum & bono Persever. de Massiliensibus sic Augustinum instruit: *Inde est*, inquit, *quod & illud pariter non accipiunt, ut eligendorum reiiciendorumque esse definitum numerum velint: atque illius sententiæ expositionem*, NON EAM QUÆ A TE EST DEPROMPTA *suscipiant, id est, ut non nisi omnes*

 homines

homines salvos fieri velit, & non eos tantùm, qui ad Sanctorum numerum pertinebunt, sed omnes omnino, ut nullus habeatur exceptus. Ex quibus paucis verbis duo manifestissimè colliguntur: unum est, Hilarium agnovisse, Apostolicum illud testimonium, *Deus vult omnes homines salvos fieri*, non exponi ab Augustino de omnibus omninò hominibus nullo excepto, sed de iis tantùm qui *ad sanctorum numerum pertinent*. Alterum est, Massilienses eadem verba Apostoli de omnibus omninò hominibus absque ulla exceptione intellexisse, idque contra expositionem Augustini.

De Prospero, altero Augustinianæ mentis (fatentibus etiam Molinianis) fidelissimo interprete: res hæc adeò perspicua est, ut mirum sit hominem alicujus frontis ausum fuisse, contrarium ei tam præfidenter obtrudere: non enim incidenter aut quasi aliud agens, sed directè & ex proposito Prosper Augustinianam expositionem à nobis traditam propugnat, & oppositam Pelagianorum & Massiliensium, impugnat. Nam Massiliensium dogmata Augustino describens, *a non solùm dicit eos Augustinianā sententiam de voluntate Dei respectu salutis Electorum respuisse, sed ad jicit, inde alium eorum errorem de initio salutis ex nobis, pullulasse: *Itaque*, inquit, *quantum ad Deum pertinet, omnibus paratam*, dicunt Massilienses, *vitam æternam; quantum autem ad arbitrij libertatem, ab his eam apprehendi, qui Deo sponte crediderint, & auxilium gratiæ merito credulitatis acceperint.* Vides hic relatum dogma Massiliensium etiam de merito credulitatis sive de initio salutis ex nobis: audi jam rationem, ob quam in erroris illius barathrum corruerint. *Sui istam verò* inquit, *talis gratiæ prædicationem hi*, QUORUM CONTRADICTIONE OFFENDIMUR, *cum prius meliora sentirent, ideò se vel maximè contulerunt, quia si profiterentur ab ea omnia bona merita præveniri, & ab ipsa ut possint esse, donari; necessitate concederent Deum secundum propositum & consilium voluntatis suæ, occulto judicio, & opere manifesto, aliud vas condere in honorem, aliud in contumeliam: quia nemo nisi per gratiam justificetur, & nemo nisi in prævaricatione nascatur.* Sed & paulò superiùs recenset argumenta, quibus propositum illud divinæ voluntatis ad solos electos ab Augustino restrictum, impugnabant. *Hoc autem propositum*, inquit, *vocationis* DEI, *quo vel ante mundi initium, vel in ipsa conditione generis humani, eligendorum & rejiciendorum*, DICITUR *facta discretio, ut secundum quod placuit creatori, alij vasa honoris, alij vasa contumeliæ sint creati, & lapsis curam resurgendi adimere, & Sanctis occasionem torporis afferre, eò quòd in utramque*

*a Epist. Prosp. ad August.

que.

quę parte in superfluus labor sit, si neque reiectus illâ industriâ possit intrare, neque electus illâ negligentiâ possit excidere, & sub incerta spe cursum non posse esse constantem: cum si aliud habeat prædestinantis electio, cassa sit annitentis intentio.

Idem prosper in Epist. ad Ruff. quâ ex professo Pelagianos eorumque reliquias impugnat; *Ab hac*, inquit, *confessione gratiæ, ideo quidam resiliunt, ne cùm eam talem confessi fuerint, qualis divino eloquio prædicatur, & qualis opere suæ potestatis agnoscitur, etiam hoc necesse habeant confiteri, quòd ex omni numero hominum per sæcula cuncta natorum, certus apud Deum definitusque sit numerus prædestinati in vitam æternam populi, & secundum propositum Dei vocatis electi.* QVOD QVIDEM TAM IMPIVM EST NEGARE, QVAM IPSI GRATIÆ CONTRAIRE. *Neque* ENIM *remotum est ab inspectione communi, quot sæculis, quàm innumera hominum millia erroribus suis, impietatibusque dimissa, sine ulla veri Dei cognitione defecerint. Sicut etiam in Actibus Apostolorum, Pauli & Barnabæ verba declarant, dicentium Iconijs: viri fratres quid hæc facitis? & nos mortales sumus similes vobis homines, annuntiantes vobis ut ab his vanis convertamini ad Deum vivum, qui fecit cælum & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt, qui in præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas: Et quidem non sine testimonio semetipsum reliquens, benefaciens eis, de cælo dans pluviam & tempora fructifera, implens cibo & lætitiâ corda eorum. Cùm utique si eis vel naturalis intelligentia, vel usus beneficiorum Dei ad capessendam vitam æternam sufficere potuisset; nostro etiam tempore rationalis nos contemplatio, & temperies aëris, & fructuum copia ciborumque salvaret: quia scilicet melius, natura utentes, creatorem nostrum propter quotidiana ipsius dona coleremus. Sed absit ab animis piorum & Christi sanguine redemptorum stulta nimirùm & perniciosa persuasio. Naturam humanam non liberat extra unum mediatorem Dei & hominum, hominem Christum Iesum: sine illo nemini salus est. sicut ipse fecit nos, & non ipsi nos: ita ipse reficit nos, & non ipsi nos. Ac ne sibi facultatis hominis pretium reparationis huius, vel post restitutionem sui, per opera videretur iustitiæ repensare, effuderunt se divitiæ bonitatis Dei in ipsa quorundam primordia parvulorum: In quibus nec præcedens eligitur, nec sequatura devotio, non obedientia, nec discretio, non voluntas. De his enim loquor, qui mox ut nati sunt renascuntur: & rapti ab hac vita æternæ beatitudini deputantur. Cùm tamen innumerabilis multitudo eiusdem naturæ, eiusdem conditionis infantium, sine regeneratione decedat. De qua dubitari non potest, quòd partem in Dei civitate non habeat.* ET VBI EST ILLVD, QVOD

NOBIS QUASI CONTRARIUM, A NON INTELLIGENTIBUS SEMPER OPPONITUR: QUOD DEUS OMNES HOMINES VELIT SALVOS FIERI, ET AD AGNITIONEM VERITATIS VENIRE? *Num quid non sunt de omnibus hominibus, qui à præteritis generationibus usque in hoc tempus sine Dei cognitione perierunt? Et si maioribus natu (quod non rectè dicitur) mala opera, quæ libero arbitrio commiserant, obfuerunt, quasi boni, non mali gratiâ liberentur: inter salvatos parvulos, & non salvatos parvulos, quæ meritorum potuit esse discretio? quid istos introduxit in regnum Dei? quid istos exclusit à Dei regno? Equidem si meritum consideres, non una pars salvari meruit, sed utraque damnari; quia omnibus in Adæ prævaricatione prostratis nisi quosdam assumeret misericors gratia, maneret super universos inculpata iustitia. Quæ autem sit discretionis istius in secreto consilio Dei causa vel ratio, & supra facultatem humanæ cognitionis inquiritur, & sine fidei diminutione nescitur: modo confiteamur neminem immeritò perdi, neminem meritò liberari; & omnipotentissimam Domini voluntatem omnes salvare, & omnes ad agnitionem veritatis imbuere,* QUOS VULT OMNES FIERI SALVOS, *& ad agnitionem veritatis venire.* NISI ENIM *ipso vocante, docente, salvante nemo venit, nemo eruditur, nemo salvatur.*

Non potuisset clarioribus verbis expositionem Augustinianam primo & secundo loco à nobis suprà traditam exprimere. Videamus interim quâ censurâ oppositam sententiam, textum Apostoli ad universitatem generis humani extendentem, feriat.

x Resp. ad obiect. Gall. 4

x *Si circa universitatem generis humani salvandam, & in agnitionem veritatis vocandam, ita indifferẽs per omnia secula asserenda est voluntas Dei, ut usquequaq; neminem hominũ prætermisisse monstretur,* IMPENETRABILIS IUDICIORUM DEI ALTITUDO PULSATUR. Qui & ibi, paulò pòst Augustinianã expositionem disertissimè tradit his verbis. *Remoto ergo obscurarum turbine quæstionum, ad revelatæ nos gratiæ latitudinem conferamus. Dicamusque cum Apostolo, Quomodo Deus vult* OMNES *homines salvos fieri & in agnitionem veritatis venire. Et iterum dicamus cum Apostolo: Qui est salvator* OMNIUM, *maximè fidelium: Et audiamus Dominum dicentem Apostolis suis: Euntes ergò docete* OMNES *gentes, Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. docentes eos quæcunque mandavi vobis. Audiamus quoque ad Abraham promissionem Dei, dicentis: In semine tuo benedicentur* OMNES *tribus terræ. Et si filij promissionis sumus, non hæsitemus diffidentiâ, sed cum Patre nostro Abraham demus gloriam Deo, & plenissimè credamus, quoniam quod promisit, potens est & facere. Audiamus David prophetantem: commemorabũntur, & convertentur*

vertentur ad DOMINUM VNIVERSI *fines terræ, & adorabunt in conspectu eius* OMNES *patriæ gentium. Et alibi: Benedicentur in ipso* OMNES *tribus terræ,* OMNES *gentes magnificabunt eum. Et alibi:* OMNES *gentes, quascumque fecisti, venient, & adorabunt coram te* DOMINE, *& glorificabunt nomen tuum.* QVÆ PROMISSIONES, QVIA VERISSIMÆ SVNT, NEC POSSVNT EX VLLA PARTE NVTARE, IN HIS IMPLENTVR, QVI SALVI FIVNT PER VNIVERSOS FINES TERRÆ; *Quoniam quod promisit* DEUS, *potens est & facere. Hac ergò est illa* TOTIVS HVMANI GENERIS ASSVMPTIO, *hac filiorum Dei adoptio hac gentium plenitudo præscita & prædestinata in Christo antè constitutionem mundi, hac est Hierusalem, quæ ab initio usque in finem lapidibus vivis & electis ædificatur, ut civitas fundata in ipso angulari lapide Christo Iesu, in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in* DOMINO. DE HIS LAPIDIBVS NIHIL DEICITVR, NIHIL MINVITVR, NIHIL RAPITVR. *Veritas enim dicit,* OMNE *quod dat mihi Pater, veniet ad me, & eum qui venit ad me, non eyciam foras. Et iterum: non creditis, quia non estis de ovibus meis. Oves meæ vocem meam audiunt & ego novi illas, & sequuntur me, & ego vitam æternam do illis, & non peribunt in æternum, nec quisquam rapiet eas de manu meâ.* Quis non videat Augustinianam expositionem primo, secundo, & tertio loco à nobis superius commemoratam, His Prosperi verbis exprimi? Quibus insuper insinuatur, universales Scripturæ locutiones sufficienter salvari per universalitatem incompletam alicujus communitatis, seu multitudinis de tota universitate segregratæ. Vnde in sententia super eadem objectione 8. Gallorum: Deus, inquit, *qui & omnes vult salvos fieri, atque in agnitionem veritatis venire, voluntatis suæ propositum in eis implet quos præscitos prædestinavit, prædestinatos vocavit, vocatos iustificavit, iustificatos glorificavit: nihil amittens de plenitudine gentium, & de omni semine Israel, cui præparatum est in Christo regnum æternum antè constitutionem mundi.* EX TOTO ENIM MVNDO TOTVS MVNDVS ELIGITVR, ET EX OMNIBVS HOMINIBVS OMNES HOMINES ADOPTANTVR. Id ipsum clariùs adhuc explicat lib. 1. de vocat. gentium cap. 9. *Illi qui audito Evangelio credere noluerunt, (inquit) inexcusabiliores facti sunt, quam si nullum præconium veritatis audivissent. Sed certum est eos apud præscientiam* DEI *Abrahæ filios non fuisse, nec in illorum sorte numeratos, de quibus dictum est, Benedicentur in semine tuo omnes tribus terræ. Credituros enim promisit qui dixit, Et non docebit unusquisque proximum suum, & unusquisque fratrem suum dicens:* COGNOSCE DOMINUM, *quia* OMNES *cognoscent*

scent me à pusillo eorum usque ad magnum. Reconciliandos promisit qui dixit, Propitius ero iniquitatibus eorum. Postremò OMNES *sine cuiusquam exceptione promisit, qui dixit, per memetipsum iuro, nisi exibit de ore meo iustitia, & verba mea non avertentur, quia mihi flectetur* OMNE *genu, & confitebitur* OMNIS *lingua* DEO. *Hic si dicamus non fieri, quod Deus iuravit esse faciendum, falsitatem Deo (quod absit) & mendacium ascribimus veritati. Si autem ut pietas fidesque persuadent,* DEI *verba non excidunt, & fit omninò quod statuit: quomodo nobis veracis promissionis firmitas apparebit, cùm multa adhuc hominum millia dæmonijs serviant, & idolis genu flectant? Nisi huiusmodi denuntiationes* DEI *secundùm illam incommutabilem scientiam editas noverimus, in qua apud illum iam universitas humana discreta est, & sive de bonis, sive de malis loquatur, ita unius partis meminit, quasi neminem hominum prætermittat. Nam cum dicit Apostolus, vetera transierunt, ecce facta sunt omnia nova: nunquid non omnes homines videtur dixisse renovatos? Aut cum dicit: Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem habitare & per ipsum reconciliari omnia in ipso: nunquid non ita loquitur, quasi neminem velit exortem huius reconciliationis intelligi? Aut cum ait, Novißimis istis diebus locutus est nobis in filio, quem constituit heredem* VNIVERSORVM: *Nunquid aliud sonat forma sententiæ, quam omnes* HOMINES *in Christi hereditate à Patre esse transcriptos, secundùm Prophetiam* DAVID, *dicentis: Postula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ? Dicente enim* DOMINO: *Si exaltatus fuero à terra,* OMNIA *traham ad me: nonne* VNIVERSORVM *videtur promissa conversio? Aut cum de Ecclesia prophetatur & dicitur:* OMNIS *vallis replebitur, &* OMNIS *mons & collis humiliabitur, & erunt prava in directa, & aspera in vias planas, nunquid* VLLVS HOMINVM *videtur omissus, qui non significatus sit Christo esse subdendus? Quid cùm dicitur, Et veniet* OMNIS *caro in conspectu meo, ut adorent in Hierusalem dicit Dominus? Aut illud: Et erit in diebus illis: Effundam de spiritu meo super* OMNEM *carnem? Aut illud: Allevat* DOMINUS OMNES *qui corruunt, & erigit* OMNES *elisos? Nunquid non ita pronuntiatum est quasi ab hoc Dei munere nemo discretus sit?* HABET ERGO POPVLVS DEI PLENITVDINEM SVAM: *Et quamvis magna pars hominum salvantis gratiam aut repellat, aut negligat, in Electis tamen & Præscitis atque ab omnium generalitate discretis, specialis quædam censetur* VNIVERSITAS, *ut de* TOTO MVNDO TOTVS MVNDVS LIBERATVS, *& de omnibus hominibus* OMNES HOMINES *videantur assumpti; sicut etiam cùm de impijs sermo est, ita locutionem suam divinus stylus ordinat, ut ea quæ de quadam parte dicuntur, ad* OMNES

HOMI-

HOMINES *pertinere videantur: veluti est illud, quod ait Ioannes Baptista: Qui de cælo venit, super omnes est, quod vidit & audivit, testificatur, & testimonium eius* NEMO *accipit. Aut illud apostoli:* OMNES *quæ sua sunt quærunt, non quæ Iesu Christi. Aut illud quod Psalmus Davidicus canit: Dominus de cælo prospexit super filios hominum, ut videat si est intelligens, aut requirens Deum.* OMNES *declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum. His igitur & alijs documentis, quæ possunt ab inquirentibus numerosiora proferri, non dubiè* DEMONSTRATVR, *interdum & pro parte terræ,* OMNEM TERRAM, *& pro parte mundi* TOTVM MVNDVM, *& pro parte hominum* OMNES HOMINES *nominari.* Et alibi: z *Secundùm marcum apostolis ita dicitur: Ite in orbem universum, prædicate Euangelium* OMNI *creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus fiet, qui verò non crediderit, condemnabitur. Nunquid hac præceptione ullarum nationum, ullorumve hominum facta discretio est?* NEMINEM MERITO EXCEPIT, NEMINEM SEPARAVIT GENERE, NEMINEM CONDITIONE DISTINXIT. Et alibi: a *Sive ergo circumcisio, sive præputium, peccato universaliter concludebatur, unusque omnes reatus obstrinxerat, & inter magis, minusque impios nemo erat qui posset absque Christi redemptione salvari: Quæ redemptio universo sese intulit mundo & omnibus hominibus indifferenter innotuit:* QVANDOQVIDEM *in die quinquagesimo ab illo Pascha in quo se hostiam Deo verus Agnus obtulerat, cum Apostoli, & qui cum eis unanimes erant, repleti Spiritu Sancto linguis omnium gentium loquerentur, conveniebat excita miraculo diversi generis hominum multitudo, ut Euangelium Christi in eis qui aderant,* TOTVS MVNDVS *audiret:* Et alibi; b *Et cur hæc manifestatione quæ nunc universis nationibus innotescit, antea revelata non fuerint, nullam posse comprehendere, nullam intelligentiam penetrare; cum tamen illud quod de bonitate Dei piissimè creditur, quia omnes homines velit salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire, non oporteat, nisi perpetuum æternumque sentiri,* SECVNDVM EAS MENSVRAS, *quibus Deus dona generalia specialibus novit cumulare muneribus.* Et alibi: c *Sive igitur novissima contemplentur sæcula, sive prima, sive media, rationabiliter & piè creditur, omnes homines salvos fieri Deum velle, semperque voluisse: & hoc non aliunde monstratur, quàm de ijs beneficijs, eâque providentiâ Dei, quam* VNIVERSIS GENERATIONIBVS *communiter atque indifferenter impendit.* Confer hæc loca Prosperi cum tertia expositione Augustiniana superiùs à nobis tradita, & mecum dices, Aut Augustinum Prosperizasse, aut Prosperum Augustinizasse; neutrum Molinizasse.

z Lib. 2 cap. 2.

a Ibid. cap. 16.

b Ibid. cap. 19.

c Ibid. cap. 25.

Porrò quòd tam prolixus fuerim in accumulandis testimonijs ex libris Prosperi de vocatione Gentium, author Thesium Apologeticarum in causa est, qui ex solis libris istis testimonia Prosperi hic allegat: Non enim sum nescius authoritatem librorum istorum longè infra authoritatem aliorum opusculorum à Prospero editorum post lectos Augustini libros contra errorem Adrumetinorum & Massiliensium, deprimi; non enim desunt qui Prosperum in libris de vocatione gentium nonnihil favere errori Massiliensium asserant. Accedit quod Prosper ipse lib. 1. de vocat. gentium cap. 1. dicat se inquisitionis & exercitij causa libros istos composuisse. *De hac igitur*, inquit, *compugnantia opinionum, quæ mensura & temperantia sentiendum sit, quantum Dominus adjuverit*, ANNITAR INQVIRERE, EXERCENS *atque* DISCVTIENS *modulum facultatis meæ, in his quæ cordi meo sobriè (quantum arbitror) adhæserunt.* Valet interim nobis authoritas horum librorum saltem per modum argumenti, ut vocant, ad hominem, contra authorem Thesium, qui, ut dixi, ex his solis libris Prosperi suffragium emendicat. Possumus insuper pro nobis allegare authoritatem ejusdem Prosperi, errorem Massiliensium d Cap. 13. impugnantis carmine de ingratis, d Vbi sic canit.

Sed tamen hæc aliqua si vis ratione tueri,
Et credi tam stulta cupis; jam pande quid hoc sit,
Quod bonus omnipotensque Deus, non omnia subdit,
Corda sibi, pariterque omnes jubet esse fideles?
Nam si nemo usquam est, quem non velit esse redemptum:
Haud dubiè impletur, quidquid vult summa potestas.
Non omnes autem salvantur, magnaque pars est,
Quæ sedet in tenebris mortis, nec vivificatur.

Ex his Prosperi præmissis, Lectori concludendum relinquimus.

Sed ut concederemus authori Thesium Apologeticarum, omnia verba quæ citat ex Prospero, verè haberi apud Prosperum, quid quæso aliud inde efficeret, quam quod juxta Prosperum, *Deus velit omnes homines salvos fieri?* Quod nos cum Apostolo constantissimè asserimus: quonam autem sensu id intelligendum sit, hactenus non solum ex Augustino, sed etiam ex ipso Prospero fusè ostendimus. Neque verò illud primum ulla ratione concedimus: more quippe suo agit Thesium author, sua verba nobis pro Prosperi verbis obtrudēdo: nam verba quę primo loco allegat

legat ex cap. 19. lib. 2. de vocatione gentium, non habentur apud Prosperum, & nos superiùs genuina Prosperi loco isto verba pro nobis citavimus. Malum omen est in principio mendacem deprehendi: Rogatus Aristoteles, *quid suo mendacio lucrarentur mendaces? ut cum verum dicunt*, inquit, *non eis credatur*. In verbis ex cap. 29. citatis, Prosperi textum adulterat substituendo (*quod*) pro (*quos*) Germanus Prosperi textus nostram expositionem confirmat. *Quamvis autem multi* (inquit Prosper) [e] *amantes tenebras suas, splendorem non recipiant veritatis, & multi qui illuminati fuerant, tenebrescant; verbum tamen Dei manet in æternum, & de promissionis veritate nihil excidit. Intrat quotidie præscita & promissa gentium* PLENITUDO, *& in Abrahæ semine* OMNIS GENS, OMNIS TRIBUS, OMNIS LINGUA *benedicitur. Quod enim Pater filio dedit, filius non amittit, neque quisquam potest de manu eius eripere, quod accepit. Firmum fundamentum Dei stat, & mansuri in æternum templi ædificatio non vacillat. prætentâ super* OMNES *veritate & misericordiâ Dei: à quo quod & nemini negatur, & nulli debetur, in ijs* QUOS *promisit efficitur.* Quid clarius, quam Prosperum hic docere idipsum quod lib. 1. cap. 9. docuerat verbis supra relatis à nobis, nimirùm universales locutiones Scripturæ, sive promittentis, sive asserentis, sufficienter verificari pro certâ multitudine, quæ quidem respectu totius universitatis pars est, nihilominùs suam plenitudinem certâ consideratione habet, & ob id universitatis nomen sortitur? Quid apertius, quam Prosperum intelligere distributionem pro generibus singulorum, quando universalem promissionem Abrahæ factam explicat de *omni gente, omni tribu, omni lingua*? Quid evidentius, quam Prosperum contendere, misericordiam Dei super OMNES prætentam, in ijs effici sive impleri, *quos* promisit? Hinc enim paulò post subjungit, *nullum excidere de* PLENITUDINE *promissorum*. Spero Molinianos non ægrè laturos, si inter sectatores & propugnatores Augustinianæ doctrinæ numeremus Authorem librorum *Hypognosticôn*, quandoquidem ipsi in *Thesibus famosis* quædam testimonia ex libris istis desumpta sub ipsius Augustini nomine obtrudant, non obstante eo quòd in præfatione dictarum Thesium protestentur: *se ex sanctis patribus nihil proferre, quod non ex genuinis eorum operibus depromptum sit.* Author itaque librorum istorum in fine libri sexti, expositionem testimonij Apostolici ab Augustino traditam, & à nobis hactenus probatam, disertissimè tradit his verbis: *Sed si adhuc hac redditâ*

[e] lib. 2. c. 29. de vocat. gent.

ratione vultis esse contentiosi, nec acquiescere veritati, nobis tamen eò quòd male de Deo iusto ac misericordissimo sentiamus, calumniari desinite: sed ipsum potiùs Dominum Iesum Christum, cuius Euangelium sequimur, si audetis arguite: cum illo iurgium sumite litigandi: illi, quod absit, malè sensisse de Deo Patre suo, calumniamini; qui ait, Multi quidem vocati, pauci vero electi. Et; nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum. Et; Nemo potest venire ad me, nisi datum ei fuerit à Patre meo. Et, non omnes capiunt verbum hoc, nisi quibus datum est. Cætera etiam quam plurima. Falsum est ergo, inquies, quod ait Apostolus de Deo, Qui vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis suæ venire? Omninò non est falsum, quia omne quod vult Deus facere potest, nec prorsùs humanâ voluntate quod vult præpeditur. Sed quæro à vobis, ut dicatis, quare Deus qui vult omnes homines salvos fieri, quorundam, ut dicit Isaias propheta, excæcat oculos ne videant, & obdurat corda ne intelligant, ne convertantur & sanentur? Quod verum esse Ioannes Euangelista confirmat dicens de Iudæis: Propterea non poterant credere, quia dixit Esaias: Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum, ut non videant oculis & intelligant corde, & convertantur, & sanem eos. Item in Euangelio secundum Marcum cum Iesum interrogarent Discipuli sui de parabola seminis: vobis, inquit, datum est, nosse mysterium regni Dei: illis autem qui foris sunt, omnia fiunt, ut videntes videant & non videant, & audientes audiant, & non intelligant, ne quando convertantur, & dimittantur eis peccata. Dicite igitur, Quare Deus qui personarum acceptor non est, & vult omnes homines salvos fieri, aliquorum corda reserat ad credendum, oculos illuminat ad videndum, & ad sciendum mysterium regni cælorum, quo scilicet salvi fieri possint: aliorum verò, ut lectionis textus dixit, involvens in parabolis veritatem, obtundit cor, excæcat oculos, claudit aures, ne Euangelium salutis agnoscant, ne remissionem accipiant peccatorum? Dicite quæso qualiter hæc loca Euangelij accipitis: docete quid hic de Deo, qui vult omnes homines salvos fieri, sentitis? Ecce iam omnes generaliter salvi non sunt; cùm alijs datur viam nosse salutis, alijs non datur. Hæc itaque cùm facit Deus, non personarum acceptione facit, non iniustitia, sed iustitia inenarrabili, & misericordia indebita. Quoniam verò hinc liquidò utraque pars dicere nihil valemus, credamus tantùm, reum mortis ex iudicis voluntate pendere. Ne quisquam autem putaret divino iudicio fieri non omnes homines salvari, dixit Apostolus qui vult omnes homines salvos fieri. QVAPROPTER OMNES HOMINES QVI SALVANTVR, DEI VOLVNTATE SALVANTVR. *Deus enim noster, Deus salvos faciendi, & Domini exitus mortis. Et quia ira in furore eius, & vita in voluntate ipsius.*

ipsius. Intelligite itaque in furore iustitiam, in voluntate misericordiam.

Inter sectatores & propugnatores Augustinianæ doctrinæ non immeritò recensere possumus Africanos illos Episcopos in Sardinia exules, qui in Epistola sua Synodica Operibus Fulgentij insertâ magnificum istud testimonium de Augustino præbent, dicentes: *Præ omnibus studium gerite libros S. Augustini quos ad Prosperum & Hilarium scripsit, memoratis fratribus legendos ingerere; quorum mentionem Beatæ memoriæ Hormisda sedis Apostolicæ gloriosus Antistes in Epistola quam consulenti se sancto fratri consacerdotique nostro Possessori rescripsit, cum magno præconio Catholicæ laudis inseruit, cuius hæc verba sunt: de arbitrio tamen libero & gratiâ Dei quid Romana, hoc est Catholica sequatur & servet Ecclesia, licet in varijs libris B. Augustini & maximè ad Prosperum, & Hilarium abundè possit agnosci, tamen & in scrinijs Ecclesiasticis expressa capitula continentur.* Hi igitur Africani Episcopi in prædictâ Epistola Synodica, expositionem testimonij Apostolici ab Augustino haustam his verbis tradunt: *Omnes autem Prædestinati ipsi sunt, quos vult salvos fieri & ad agnitionem veritatis venire: qui propterea* OMNES *dicuntur, quia in utroque sexu, ex omni hominum genere, gradu, ætate & conditione salvantur. Semper quippè voluntas Dei omnipotentis impletur, quia potestas eius nullatenus vincitur: ipse est enim, qui omnia quæcunque* VOLVIT *fecit in cælo & in terra, in mari & in omnibus abyssis; & cuius voluntati nemo resistit.* Non potuissent clarioribus verbis Augustinianam Expositionem superiùs tertio loco à nobis traditam exprimere; ubi obiter observa eosdem præmisisse hæc verba: *Proinde ut de ijs quæ vestris litteris indidistis quid habeat* CATHOLICI DOGMATIS VERITAS, *intimemus, singula breviter definire curabimus sequentes donum eiusdem Gratiæ, quod* SS. PATRVM *cordibus & linguis ipsa est dignata infundere.* Vbi vides Episcopos illos habuisse tanquam fidei dogmata, definitiones illas Synodales, quarum una est illa, quam retulimus de expositione testimonij Apostolici, *Deus vult omnes homines salvos fieri.*

Neq; verò hoc loco prætermittẽdus est *Fulgentius*, Augustinianæ doctrinæ mirificus prædicator, & studiosissimus sectator; cujus illustre de ipso Augustino testimonium extat lib. 2. de veritate Prædest. cap. 18. *Hæc itaque*; inquit, *Catholicorum Patrum Apostolicis institutionibus tradita permanet in Ecclesia sine aliqua dubitatione doctrina, quam Græci Latinique Pontifices S. Spiritus infusione firmati, uno atque indissonabili semper tenuere consensu. In qua Beatus Augustinus*

indutus virtute ex alto ABVNDANTIVS ILLIS OMNIBVS LABORAVIT: *non autem ipse, sed Gratia Dei cum illo. Ipsius enim ministerio Dominus* VBERIOREM *huius rei fidelibus suis instructionem prabuit, quippe adhuc ipso in corpore constituto Pelagiana hæresis adversùs gratiam Dei mortiferis ausibus rebellavit. Nec defuit in vita benignitas miserantis Dei, qua militem suum spiritalis Gratia armis tantò fortiùs præcingeret, quantò acriùs adversùs eandem vasa iræ diabolus instigaret. Proinde memoratus Dei pontifex turrim fortitudinis ipsam Gratiam tenens, & exinde cuncta hostilium machinamenta telorum cælestis iuvaminis virtute confringens, non solùm ipse de hoste victoriam referens triumphavit, quin etiam* POSTERIS CERTANDI ET VINCENDI ORDINEM, SI QVANDO VICTA PRAVITAS RECIDVO AVSV INFANDVM CAPVT ERIGERE NITETVR, OSTENDIT. *Sensum quippè Christi habens tam gratiæ Dei quàm humani arbitrij & officia discrevit & merita,* SEMPER DIVINIS HVMANA SVBIICIENS, *& veraciter docens, divinitùs homini & gratuitò iustificationis donum, & bonæ voluntatis exordium, & plenum tribui glorificationis effectum.* HVNC LEGAT OMNIS, QVI SALVTEM ÆTERNAM ADIPISCI DESIDERAT, *humiliter orans misericordiæ Dominum, ut eundem spiritum intelligentiæ legens accipiat,* QVEM ILLE ACCEPIT VT SCRIBERET: *Et eandem illuminationis gratiam adipiscatur ut discat,* QVAM ILLE ADEPTVS EST VT DOCERET. Hæc Fulgentius de Augustini laudibus. Qualiter verò Fulgentius Apostolicum illud testimonium, *Deus vult omnes homines salvos fieri* interpretetur, melius ex ipso sensum suum promente, quam ex ullo interprete colligi potest. Libro itaque de Incarn. & Gratia D. N. Iesu Christi cap. 29. expositionem testimonij Apostolici aggreditur his verbis: *Illud verò Apostolicum, ubi dicitur de Deo: Qui vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, non sicut oportet intelligunt, qui hanc Dei voluntatem sicut in vasis misericordiæ, sic & in vasis iræ accipiendam existimant:* tum cap. 31. post longam ventilationem Apostolici testimonij per duo præcedentia capita, sensum suum, quem ex Augustino hauserat, his verbis disertissimè exprimit. *Quocirca illos omnes quos Deus vult salvos fieri,* SIC INTELLIGERE DEBEMVS, *ut nec aliquem putemus salvari posse nisi volente Deo, nec existimemus voluntatem omnipotentis Dei aut* IN ALIQVO *non impleri, aut aliquatenus impediri.* OMNES ENIM QVOS DEVS VVLT SALVOS FIERI, SINE DVBITATIONE SALVANTVR, *nec possunt salvari nisi quos Deus vult salvos fieri,* NEC EST QVISQVAM QVEM DEVS SALVARI

VELIT,

VELIT, ET NON SALVETVR, *quia Deus noster omnia* QVÆ CVMQVE VOLVIT *fecit. Ipsi omnes utique salvi fiunt*, QVOS OMNES *vult salvos fieri, quia hæc salus non illis ex humana voluntate nascitur, sed ex Dei bona voluntate præstatur. Veruntamen in his omnibus hominibus quos Deus vult salvos facere*, NON TOTVM OMNINÒ GENVS SIGNIFICATVR HOMINVM, SED OMNIVM VNIVERSITAS SALVANDORVM. *Ideo autem* OMNES *dicti sunt, quia ex omnibus hominibus omnes istos divina bonitas salvat, id est*, *ex* OMNI GENTE, CONDITIONE, ÆTATE, EX OMNI LINGVA, *ex* OMNIVM *provinciis*. IN HIS OMNIBVS ILLE SERMO NOSTRI REDEMPTORIS IMPLETVR, *quo ait: Cùm exaltatus fuero à terra*, OMNIA TRAHAM AD MEIPSVM. *Quod non ideo dixit, quia* OMNES OMNINÒ *trahit, sed quia nemo salvus fit, nisi quem ipse traxerit. Nam & alibi dicit: Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum. Item alibi:* OMNE *quod dedit mihi Pater, ad me veniet.* HI ERGO SVNT OMNES, QVOS VVLT DEVS SALVOS FIERI, *& ad agnitionem veritatis venire.* EST AVTEM FAMILIARE DIVINIS ELOQVIIS, VT OMNES NONNVNQVAM DICANT, NEC TAMEN OMNE HVMANVM GENVS IN IPSIS OMNIBVS SEMPER INTELLIGI DEBERE COMMONEANT, *Sicut est illud quod dicit Dominus per Prophetam: In novissimis diebus effundam de spiritu meo super* OMNEM CARNEM. *Quod in centum viginti hominibus, in quos Spiritus Sanctus linguis igneis venit, Factum B. Petrus ostendit. Si ergo hic* OMNEM CARNEM OMNES OMNINÒ PVTAVERIMVS HOMINES INTELLIGI, INCIPIET (QVOD ABSIT) MENDAX ÆSTIMARI DIVINVS SERMO. *Est autem Deus verax, & eloquia Domini eloquia casta. Super* OMNEM IGITVR CARNEM *sicut se Deus effusurum de spiritu suo repromisit, sic fecit, sic facit, sic usque in finem sæculi facturus est.* PRORSVS SVPER OMNEM CARNEM, *id est*, SVPER OMNES HOMINES *effundit de spiritu suo*, SCILICET SVPER ILLOS HOMINES QVOS VVLT SALVOS FIERI. *Et ut qui sint* OMNES *isti plenius noverimus, eiusdem B. Petri sermonibus auscultemus, qui illam prædicationem suam* S. *Spiritu repletus hac exhortatione conclusit: Pœnitentiam, inquit, agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum: & accipietis Donum Spiritus Sancti: vobis enim est repromissio, & filijs vestris, &* OMNIBVS *qui longè sunt*, QVOSCVNQVE *advocaverit Dominus Deus noster.* OMNES ITAQVE DIXIT, SED QVOSCVNQVE DOMINVS ADVOCAVERIT: *Quos etiam Beatus Paulus secundùm propositum vocatos insinuat. Qui alio quoque loco ait:*

Concin-

Conclusisse Deum OMNIA *in incredulitate, ut* OMNIVM *misereatur.* *Et tamen Deus* NON ITA OMNIVM OMNINÒ *miseretur, quos in incredulitate conclusit, ut omnibus infidelibus gratiam fidei misericorditer donet, cùm tamen eandem gratiam fidei non infidelibus Deus misericors donet, sed illis proculdubiò de quibus ad Moysen dicit: Miserebor cui misereor, & misericordiam præstabo cuius miserebor. Gratiam igitur voluntariæ donationis ostendens, sicut Dominus suis dignatus est loqui discipulis: Vobis datum est nosse mysterium regni cælorum, illis autem non est datum. Item dicit: qui potest capere capiat. sed ut ipsam capacitatem divinâ doceret largitate concedi, alio loco ait: Non omnes capiunt verbum, sed quibus datum est.* HI SVNT ERGO OMNES QVORVM DEVS MISERETVR, *quia misericordia ipsius præveniuntur ut credant, & gratis salvi fiant per fidem. Eorum namque credulitas non ex humana voluntate sumit initium, sed ipsi voluntati fides gratuita Dei miserentis largitate donatur.* HANC OMNIVM DISCRETIONEM, QVAM FIDELIS DEBET INTELLECTVS OMNINÒ SERVARE, *B. Paulus uno epistolæ suæ loco sic posuit, ut* OMNES HOMINES SINE ALIQVA EXCEPTIONE *dicens, statim* QVOSDAM OMNES HOMINES *exceptis aliis insinuaret. Ait enim: Sicut per unius delictum* IN OMNES HOMINES *in condemnationem, sic & per unius iustitiam in* OMNES HOMINES *in iustificationem vitæ. Nunquidnam quia* IN OMNES *in condemnationem, &* IN OMNES HOMINES *in iustificationem Apostolus dicit, ideo* PRORSVS OMNES HOMINES *quos per peccatum Adæ originaliter constat esse damnatos, simul* OMNES EOSDEM *credere debemus iustificatos esse per Christum, cum innumerabiles* INFIDELIVM MORTES OBSISTANT, *qui sine gratia iustificationis de hac vita transeunt, & absque sacramento Baptismatis, ad sedem mortis æternaq; supplicia rapiuntur. Restat ergo* VT NON OMNES OMNINÒ *quos in condemnationē ponit Apostolus, transire ad iustificationis gratiam sentiamus, sed quosdam ex illis omnibus.* OMNES ISTOS ITAQVE OMNES *per Adam in condemnationem esse filios iræ, & ex eis quosdam per Christum* OMNES ESSE FILIOS GRATIÆ. *Illos ergo esse* OMNES *quos per primum hominem propago peccatrix carnali generatione condemnat:* OMNES *enim terreni sunt, qui terreni hominis imaginem gerunt, &* OMNES *cælestes, qui ad æternam vitam imaginem hominis cælestis accipiunt. Iterum dicit propheta:* OMNES GENTES *quascunque fecisti venient, & adorabunt coram te, & glorificabunt nomen tuum in æternum. Dominus autem suis fidelibus dicit: Eritis odio* OMNIBVS GENTIBVS *propter nomen meum. Nunquid ergo contrariis sibi repugnat Scriptura divina sententiis? Absit. sed & illos* OMNES, *& istos* OMNES VERACITER

CITER

CITER DICIT, *id est*, & OMNES FIDELES *qui nomen* DOMINI *in* OMNIBVS GENTIBVS *glorificant*, & OMNES INCREDVLOS *qui per easdem* OMNES GENTES *in odio nominis Christi fideliumque eius, mortiferâ impietate perdurant.* Tale quiddam est etiam in Epistola quam Colossensibus B. Apostolus scribit, ubi dicit: *Quia in Christo condita sunt* VNIVERSA *in cælis & in terra, visibilia & invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive principatus, sive potestates.* OMNIA PER IPSVM & *in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes,* & OMNIA IN IPSO CONSTANT. *Et paulò post ait: Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum* RECONCILIARI OMNIA IN IPSVM *pacificans per sanguinem crucis eius, sive quæ in terris sunt, sive quæ in cælis sunt. Nunquid diabolum & angelos eius pacificare credimus? Absit: qui enim sic sentire voluerit, bicipitem laqueum geminæ impietatis incurret, ut aut diabolum & angelos eius per spiritum creatos esse neget, aut eos reconciliandos per sanguinem crucis eius affirmet. Veruntamen quisquis harum sententiarum pravitate qualibet involvitur,* CAVEAT NE CVM IPSO DIABOLO, ATQVE ANGELIS EIVS ÆTERNÆ COMBVSTIONIS PVNITIONE DAMNETVR. *Vnius enim eiusdemque impietatis est reus, si quis diabolum aut non à Christo creatum, aut reconciliationi Christi credat quandoque reddendum. Cùm utique si eum Christus Dominus non creasset, eius damnabilis à Christo discessio non esset. Et si eum Christus quandoque salvaturus esset, non ore Christi pronuntiaretur eius æterna cõbustio.* OMNIA *ergo per Christum & in Christo creata sunt, quia nihil est quod non per filium, & in filio creaverit Pater. Et* OMNIA *per ipsum atque in ipso reconciliantur,* QVIA NVLLVS EST HOMINVM QVI SINE CRVCE CHRISTI RECONCILIATIONIS BENEFICIVM CONSEQVATVR. EX HAC ERGO REGVLA QVÆ CÆLESTIBVS INSERTA MONSTRATVR ORACVLIS, *sic intelligamus* OMNES HOMINES *quos vult Deus salvos fieri, ut noverimus* OMNES QVI SALVANTVR *non nisi ex eius gratuita bonitate salvari, ut enim quisque salvetur, nulla præcedunt humanæ voluntatis bona merita, sed sola* DEI *voluntas humanæ salvationis est causa. Ira enim in indignatione eius, & vita* IN VOLVNTATE EIVS. *Ira igitur eius nostræ iniquitatis est meritum, vita verò nostra voluntatis eius est donum. Sicut enim Pater suscitat mortuos & vivificat, sic & filius* QVOS VVLT *vivificat.* EOSDEM AVTEM VIVIFICARI VVLT, QVOS VVLT SALVOS FIERI. *Sic ergò* QVOS VVLT SALVAT, *quemadmodum* QVOS VVLT VIVIFICAT. *Nihil namque* VOLVIT ET NON FECIT, *qui Scriptura teste,* OMNIA QVÆCVNQVE VOLVIT FECIT. *Proinde non indignè dicimus aliquid*

Deum nolle quod possit. NEFAS EST AUTEM, SI QUIS OMNIPOTENTEM DICAT ALIQUID FACERE NON POSSE QUOD VELIT, VOLUNTATI ENIM EIUS QUIS RESISTET? *Nemo utique, quia non est aliqua natura quæ ab eius creatione sit aliena. Et sicut nihil naturaliter subsistit quod ille non fecerit, ita nihil provenit in salutem hominum quod ille non in æterna bonæ voluntatis suæ dispositione faciendum prædestinaverit, à quo & fides gratis infunditur, per quam bene ambulemus, & perseverantia donatur per quam ad speciem pervenire possimus. Hæc autem dona sua Deus in æterna atque incommutabili habet voluntate disposita, in qua præordinavit atque præparavit, & quæ daret, & quibus daret. Ipse enim prædestinando præparavit gratiæ donum, quia gratiam donando implet Prædestinationis effectum.* Contra hanc apertissimam Apostoli testimonij ad solos salvandos restrictionem, tot exemplis ex divina Scriptura depromptis confirmatam: hanc lucidissimam commentitiæ ampliationis ad reprobos, tot manifestis experimentis reprobatam, exclusionem: hanc fidissimam Augustinianæ mentis ab integerrimo Interprete factam & tot argumentis solidatam, expressionem; audet quisquam sinistræ interpretationis murmur emittere, atque perspicuæ syncerissimæque sententiæ nubem obliquæ ambiguitatis obtendere? Audet sanè Apologeticarum Thesium author. *Non*, inquit,[a] *ad verba (nisi & Apostolum argui velint) sed ad sensum Semi-Pelagianorum, qui reprehenditur, reflectere debuissent Adversarij. Docebant Semi-Pelagiani gratiam secundum merita nostra dari, secundum demerita negari, & sic in potestate nostra esse ut consequamur salutem: in quem sensum urgebant verba Apostoli, ut satis indicat Augustinus* &c. Ecce murmur sinistræ interpretationis; nubem obliquæ ambiguitatis; clypeum stramineum, Augustinianæ romphææ acie contritilem; umbraculum cereum aut potius seveum, ad primum Solis conspectum liquabile; ficulneum denique perizoma ad tegendum Ant-Augustinianæ expositionis nuditatem, consutum. Nimirum Semi-Pelagiani non satis proprijs verbis sensum suum expresserunt, sed ab hoc novo interprete eam expressionem expectare debuerunt. Enimverò quis non rideat hujus viri præsumptuosam parenthesin, NISI ET APOSTOLUM ARGUI VELINT? nimirum, Ipso Censore, quotquot testimonium Apostolicum ad solos salvandos restringunt, Apostolum falsitatis arguunt: ac per hoc quoties Augustinus vel ejus discipuli, hactenus citati, affirmant verba Apostoli, sive commodè, sive pro generibus singulorum tantum

[a] Thes. 1. Apol.

tum, intelligi posse aut debere, toties Apostolum falsitatis arguunt: similiter cùm dicunt universales locutiones Prophetarum, Euangelistarum, Apostolorum, posse aut debere restrictè exponi, toties ab eis Scriptores Canonici, erroris redarguuntur: quo nihil alienius à mente Augustini fingi potest, utpotè qui Epist. 8. disertissimè pronuntiat, *Non nisi exitiosissimè credi posse, aliquod in libris sanctis esse mendacium*. Et Epist. 19. *Se scripturarum libris qui Canonici appellantur hunc honorem timoremque deferre didicisse; ut nullum eorum authorem scribendo aliquid errasse, firmissimè credat.*

Cogit me importunitas Adversarij, unum adhuc Augustini locum attexere, ubi conceptissimis verbis asserit, per *omnes homines* in Apostolico testimonio, omne genus hominum intelligere nos posse: *Praceperat enim Apostolus*, inquit, [b] *ut oraretur pro singulis hominibus, & specialiter addiderat pro Regibus, & iis qui in sublimitate sunt, qui putari poterant fastu & superbia sæculari à fidei Christianæ humilitate abhorrere. Proinde dicens: hoc enim bonum est coram salvatore nostro Deo, id est, ut etiam pro talibus oretur, Statim ut desperationem tolleret, addidit: Qui omnes homines vult salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire. Hoc quippe Deus bonum iudicavit, ut orationibus humilium dignaretur salutem præstare sublimium. Quod utique iam videmus impletum. Isto locutionis modo & Dominus est usus in Euangelio, [c] ubi ait Pharisæis, decimatis mentham & rutam, & omne olus. Neque enim Pharisæi, & quæcumque aliena, & omnium per omnes terras alienigenarum omnia olera decimabant: Sicut ergo hic omne olus omne olerum genus, ita & illic omnes homines omne hominum genus* INTELLIGERE POSSVMVS: *Et quocunque alio modo intelligi potest, dum tamen credere non cogamur, aliquid omnipotentem* DEVM VOLVISSE FIERI, FACTVMQVE NON ESSE, *qui sine ullis ambiguitatibus si in cælo & in terra, sicut & veritas cantat, omnia* QVÆCVMQVE VOLVIT FECIT, PROFECTO FACERE NOLVIT, QVODCVMQVE NON FECIT. Ex quibus verbis duo colligas: unum, non sine gravi injuria Augustini, Adversarium inseruisse parenthesin, *nisi & Apostolum argui velint.* Alterum, prorsus falsum esse quod superiùs præmiserat, Patres unanimi consensu, consentiente etiam Augustino, ex contextu Apostoli deducere, Deum uti omnium sine exceptione est Deus, mediator, redemptor, ita omnium velle salutem. Augustinus enim verbis iam citatis, ex ipso Apostoli contextu, quo commendatur nobis oratio pro omnibus fundenda, expositionem suam de omni genere hominum, deducit. Eodem capite

[b] Enchirid. cap. 103.

[c] Luc. 11.42.

paulò superiùs aliàm expositionem de distributione commoda, ex eodem contextu deducit, dicens: *Quamvis certum sit nobis non omnes homines salvos fieri, non tamen ideo* DEBEMUS *omnipotentissimæ Dei voluntati aliquid derogare sed ita* INTELLIGERE, *quod scriptum est: Qui vult omnes homines salvos fieri, tanquam diceretur, nullum hominem fieri salvum, nisi quem salvum fieri ipse voluerit: non quod nullus sit hominum, nisi quem salvum fieri velit; sed quod nullus fiat nisi quem velit:* ET IDEO SIT ROGANDUS UT VELIT, QUIA NECESSE EST FIERI SI VOLUERIT. DE ORANDO QUIPPE DEO AGEBAT APOSTOLUS UT HOC DICERET. Nec minor injuria Augustinò & discipulis ejus irrogatur ab adversario in cæteris illis verbis, quibus præsumptuosam parenthesin interserit; facit quippè eos omnes, Semi-Pelagianos: si enim (ut ipse contendit) Semi-Pelagiani Apostolicum testimonium non aliter ad omnes omnino homines extenderint nisi juxta alium sensum suum de gratia danda ex meritis nostris, & neganda ex demeritis; consequens est ut Augustinus ejusque discipuli Semi-Pelagianum errorem debellantes, juxta eumdem Semi-Pelagianorum sensum negaverint quidem Deum velle omnes omninò homines salvos fieri, admiserint verò Deum velle omnes homines salvos fieri, distribuendo, *homines*, commodè pro ijs qui salvantur, aut pro generibus singulorum, id est, pro omni genere hominum: hoc autem quid est aliud dicére, quam omnes quotquot salvantur, salvari Deo quidem volente, sed gratiam ex meritis humanis largiente, prout contenderunt Semi-Pelagiani? nisi enim id admittatur, quid restat nisi ut Augustinus & discipuli ejus sint obnoxij illi reprehensioni adversarij: *verùm, non ad verba, sed ad sensum Semi-pelagianorum qui reprehenditur, reflectere debuissent adversarij.*

Quòd verò Adversarius Lectorẽ remittat ad *Theses famosas* titulo de *Semi-pelagianis*, frustrà facit: quia in toto illo titulo de Semi-Pelagianis ne vel apparenter ostendit dogma de gratia ex meritis humanis, & dogma de generali voluntate Dei salvandi omnes omninò homines nemine excepto, non esse distincta dogmata, & distinctim à propugnatoribus gratiæ refutata; Prosper enim in Epistola ad Augustinum adeò notanter ista duo dogmata distinguit, ut dicat, Massilienses ex occasione unius prolapsos fuisse in alterum. *In istam*, inquit, *talis gratiæ prædicationem hi, quorum contradictione offendimur, cum priùs meliora sentirent, ideò se vel maximè*

maximè contulerunt, quia si profiterentur ab eâ omnia bona merita praveniri, & ab ipsâ ut possint esse, donari; necessitate concederent, Deum secundum propositum, & consilium voluntatis suæ, occulto iudicio, & opere manifesto, aliud vas condere in honorem, aliud in contumeliam. Hinc videas: quam veraciter dixerit Iansenius sententiam exponentem Apostolica verba, *Deus vult omnes homines salvos fieri*, de voluntate generali salvandi omnes omninò quantum in se est, esse basim Massiliensium. Huic quippe basi totam molem dogmatum suorum superstruxerunt: inde enim 1°. deducebant, Deum ex parte suâ statuisse omnibus omninò dare gratiam sufficientem; 2°. ad promerandam eis illam gratiam voluisse mittere Christum qui mediante passione sua, pro omnibus omninò tolerata, omnes nemine secluso redimeret, auxiliaque sufficientia provideret: 3°. quia aliunde certò sciebant non omnes reipsa salutem consequi, discretionem salvandorum à damnandis in cardinem liberi arbitrij resolverunt, unde ulteriùs pro generali principio sustinebant, facienti quod in se est per vires naturæ Deum non denegare gratiam: Tandem cum ijs opponeretur instantia de parvulis, quorum aliqui ad Baptismum perveniunt, alij sine Baptismo expirant, eousque dementiæ progressi sunt, ut ad merita conditionatè futura, si parvuli ad ætatem adultam perventuri fuissent, recurrerint. Augustinus itaque ejusque discipuli, ut universam hanc structuram subverterent, lapidem istum fundamentalem summis viribus aggressi sunt, constantissimè asseverantes locum Apostoli, *Deus vult omnes homines salvos fieri*, non de omnibus omninò hominibus sed de ijs tantùm qui salvantur, intelligendum esse. Hac enim fundamentali columnâ semel concussâ, probè sciverunt, totam machinam superstructam collapsam iri, perinde ac domus Phylistinorum corruit collapsis per Samsonem d columnis. Non igitur per ordinem ad dogma de gratia ex meritis humanis, sed simpliciter & absolutè negabat Augustinus, Apostolicum testimonium ad omnes omninò homines extendendum esse, alioquin à fallacia petitionis principij vix videri poterit immunis. d Iud. 16

Melius præterea suo suorumque honori consuluisset adversarius, omninò tacendo de Thesi illa ad quam nos remittit, quam ejus memoriam refricando: non enim ignoramus quam multipliciter erratum sit in illa Thesi de Semi-Pelagianis: ut enim alia omittam, opportuniùs alibi discutienda; nimis supinè pag. 5. col. 1.

Col. 1. num. 2. verba Augustini desumpta ex expositione propositionis sexagesimæ epistolæ ad Romanos, Massiliensibus tanquam ab ijs asserta, affingit. Hilarius quidem in sua epistola, verba illa (NISI QUIS CREDAT &c.) interserit: non tamen tanquam verba Massiliensium, sed tanquam verba Augustini, quæ Massilienses in confirmationem sui dogmatis citabant; ut unicuique epistolam Hilarij legenti, ad oculum patet. Vnde ineptissimè ex verbis illis, non Massiliensium sed Augustini, deducunt authores Thesium, Massilienses sensisse, non solum gratiam certò & infallibiliter conferri elicientibus naturaliter actus moraliter honestos, sed insuper gratiam certò negari ejusmodi actus omittentibus: nam Prosper in epist. ad Augustinum disertissimè affirmat, Massilienses non negare gratiam subinde prævenire voluntates nostras. *Nec considerant* (inquit) *se gratiam Dei, quam comitem non prævam humanorum esse volunt meritorum, etiam illis voluntatibus subdere, quas* AB EA *secundum suam phantasiam non negant esse* PRÆVENTAS. Idem clarissimè patet ex Cassiano apud [e] Prosperum. Quid quod ipse Augustinus planissimè idipsum tradat lib. de Prædest. SS. cap. 1. *Pervenerunt* (inquit loquens de Massiliensibus) *etiam, ut* PRÆVENIRI VOLUNTATES HOMINUM DEI GRATIA FATEANTUR, *atque ad nullum opus bonum sive incipiendum sive perficiendum sibi quemquam sufficere posse consentiant.* Quod igitur Augustini verba ex expositione propositionum epistolæ ad Rom. pro se allegaverint Massilienses, non ideo est quod ipsi totum quod illis verbis importatur senserint, sed quia ex illis verbis, argumento à fortiori, sententiam suam deducere volebant. Optandum proinde foret ut cordatus quispiam seriò præmonuisset Authores Thesium quatenus exactius studerent discernere inter verba Augustini & Massiliensium, antequam præsumerent socios suos à crimine citati Pelagij pro Augustino per Jansenium eis impacto, purgare. Ne forte dicatur eis, [f] *ejce primum trabem de oculo tuo, & tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui.* Quâ enim fiduciâ faciem alienam lavare præsumit, qui manus suas luto spurcatas non præluit. Optimè in hujusmodi malarum causarum advocatos quadrat illa Peligni vatis admonitio:

Tu cave defendas quamvis mordebere dictis:
Causa patrocinio non bona pejor erit.

[e] Lib. contra Collat. cap. 1. 9. 14. 38. 39.

[f] Matth. 7. 5.

CONCLU-

CONCLVSIO.

Moliniani Molinam suum deserunt; Augustini scriptis insidiantur; Prospero abutuntur; Massiliensibus imponunt; Lovanienses Theologos suo pede metiuntur; in expositione testimonij Apostolici Pelagio & Pelagianis, non Augustino aut Augustinianis suffragantur; Iansenium immoderatè repercutiunt; & & per ejus latus Augustinum impetunt. Quod erat ostendendum.

II. De Christo pro omnibus mortuo.

NEgare videri volunt Tridentinum Concilium, aut S. Prosperum repugnare Iansenio, asserenti christum pro solis electis mortuum, eò quòd Prosper dixerit ad capitula Gallorum cap. 9. cùm rectissimè dicatur Salvator pro totius mundi redemptione crucifixus... potest tamen dici pro his tantùm crucifixus, quibus mors ipsius profuit &c. *pag. 14.*

RESP. Christus non solùm pro electis de facto salvandis crucifixus & mortuus est, sed etiam pro non salvandis: pro illis efficaciter; pro his verè & propriè ex sincero affectu salutis eorum, ad quam obtinendam sufficientia media morte suá ijs promeritus est.

Hoc sensu, & non alio intelligi possunt verba Prosperi: alioqui, ut in his ipsis locis quæ adversarij allegant, ita & in alijs, quorum Theses meminere, sibi ipse apertè contradiceret: quomodo enim aliter verum esse possit, quod respondet ad 1. objectionem Vincentianam: *cùm rectè omnes dicantur redempti* (lytro nempe sanguinis Christi pro omnibus persoluto) *& tamen non omnes à captivitate sint eruti, redemptionis proprietas* (hoc est efficacia) *haud dubiè penes illos est, de quibus princeps mundi missus est foras.*

Quare unà cum Tridentino Prosper repugnat Iansenio, asserenti Christum tantùm pro electis mortuum, & dicta Prosperi testimonia frustra allegant ejus fautores.

Tridentinum sess. 6. cap. 3. *Etsi ille pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis eius beneficium recipiunt, sed hi dumtaxat quibus meritum passionis eius communicatur.* Evidens est his Tridentini verbis comprehendi non salvandos, pro quibus Christus mortuus sit. nam

Omnes qui salvantur mortis Christi beneficium recipiunt:

Aliqui

Aliqui pro quibus mortuus est Christus, hoc beneficium non recipiunt; ergo

Aliqui pro quibus mortuus est Christus, not salvantur.

Hunc syllogismum enervari oportujt ab adversarijs, ut Tridentinum Iansenianæ doctrinæ non adversari ostenderent: sed enervari non potest à Catholico; nam major propositio certissima est: minor ipsius Tridentini, & consequentia legitima.

Quod ad Prosperum attinet, apud eum prima objectio Vincentiana est: *quòd Dominus noster Iesus Christus non pro omnium hominum salute, & redemptione sit passus.* Hæc Prospero in præfatione responsionum ad hujusmodi objectiones est *ineptissima blasphemia prodigiosum mendacium*, membrum unum *diabolici indiculi, subscriptione anathematis rejicienda, perversa definitio, impia, profanaq; opinio, denique blasphemia.*

Contradictoria igitur in proprio sensu simpliciter vera est: quòd pro omnium salute Christus mortuus sit: at nullo sensu vera potest esse Iansenio: nam

Nullo vero sensu Christus mortuus est pro eorum salute, qui propter solum originale positivè reprobati sunt. quos Deus non vult salvos fieri. quibus sufficientia ad salutem media Christus non est promeritus. pro quorũ salute non est magis mortuus, aut non magis oravit Patrem, quam pro diaboli. qui in Massa perditionis perpetuò relicti sunt. qui necessariò finaliter peccant.

Atqui juxta Ianseniũ hęc omnia cõpetunt non salvandis; ergo

Nullo vero sensu pro ijs Christus mortuus est.

Non juvat quòd magnitudo pretij pro omnibus fuerit sufficiens: nam alioqui fuisset etiam Christus mortuus pro salute diaboli.

Non item juvat, quòd *communis fuerit omnium in primo homine perditio; quòd una omnium natura, & una omnium causa;* (ut ex Prospero referunt) *nisi hac fuerit* (ut idem Prosper asserit) *à Domino nostro in veritate suscepta.* Nam redempti dici non possunt, pro quibus lytrum non persolvitur, etsi ob eamdem caussam captivi sint, ob quam alij, pro quibus solvitur; etsi pro ijs etiam futurum sufficiens, pro quibus non solvitur.

Quamvis nec Tridentinum, nec Prosper Iansenio adversarentur, mutila nihilominus ejus foret defensio, & desertio causæ potiùs; cùm ad duo dumtaxat accusationis capita advocati illi obiter, & perplexè respondeant, plurima verò alia, tot illustria

Scriptu-

Scripturæ loca, tot irrefragabilia maximi nominis Patrum, ipsiusque Augustini testimonia intacta relinquant. Vide Thesium cap. 2. artic. 6. cap. 3. artic. 3. cap. 5. paral. 5.

THESES THEOLOGICÆ

ANT-APOLOGETICÆ

MAssiliensium mensuram hic denuò implent Moliniani, quando Iansenium Augustini vestigijs insistentem, cum eoque negantem, Christum pro æternâ salute reproborum crucifixum & mortuum, criminantur tanquam contradicentem Apostolo veraciter asserenti [a] *Christum Iesum dedisse semetipsum redemptionem pro omnibus*: Cum Iansenius nusquam neget Christum pro omnibus crucifixum, quin potiùs id clarissimè supponat tom. 3. lib. 3. cap. 20. cui capiti titulum hunc præfixum reliquit: *Quomodo Christus sit redemptor omnium, pro omnibus crucifixus & mortuus?* Vbi absque ulla ambiguitate præsupponit & innuit irrefragabilem veritatem sententiæ asserentis, Christum esse redemptorem omniū, pro omnibus crucifixum & mortuum, & de solo modo quo verba illa exponenda sont juxta Augustini sui principia prolixam disputationem instituit. Mensuram, inquam, Massiliensium implent, utpote quorum inter Capitula apud Prosperum respons. ad Capitula Gall, istud est nonum: *Quod non pro totius mundi redemptione salvator sit crucifixus*: & rursus prima objectio inter Vincentianas est, ista: *Quod Dominus noster Iesus Christus non pro omnium hominum salute & redemptione sit passus.* Eandem proinde calumniam à Molinianis patitur Iansenius, quam à Semi-Pelagianis passus est olim Augustinus: Capitula quippè Gallorum cum objectionibus Vincentianis adversùs Augustini & discipulorum ejus doctrinam concepta fuisse & evulgata, ex præfationibus Prosperi utrisque respectivè præfixis, perspicuum est: nam in præfat. ad Capitula Gall. *doctrinam*, inquit, *quam S. memoriæ Augustinus Episcopus contra Pelagianos inimicos Gratiæ Christi, & liberi arbitrij decemptores, per multos annos Apostolicè asseruit, litterisque mandavit: quibusdam visum est aut non intelligendo, aut intelligi eam nolendo reprehendere: & hoc quasi compendium cognitionis his qui judicio eorum ducebantur, afferre: ut quæ in libris prædicti*

[a] 1. Tim. 2. 6.

 vui

viri damnabilia reperisse iactabant, brevium capitulorum indiculis publicarent: talique commento & detestationem eius quem impeterent, obtinerent: & ab his quæ infamassent, curam exterriti Lectoris averterent. Item Præfatio ad Capitula objectionum Vincent. sic incipit: *Quidam Christianæ ac fraternæ charitatis obliti, in tantum existimationem nostram, quoquo modo student lædere, ut suam se evertere, nocendi cupiditate, non videant; contexunt enim, & qualibus possunt sententijs comprehendunt ineptissimarum quarundam blasphemiarum prodigiosa mendacia: eaque ostendenda & ingerenda multis publicè privatimque circumferunt: asserentes talia in nostro esse sensu, qualia diabolico continentur indiculo.* Cum enim Augustinus utrumque Apostolicum testimonium, *Deus vult omnes homines salvos fieri*, & , *Christus Iesus dedit semetipsum in redemptionem pro omnibus*: non plenè, sed aut commodè, aut pro generibus singulorum distribueret; Massilienses capitale suum dogma de initio salutis ex nobis, ea expositione everti perspicientes, Augustinianam doctrinam velut universalibus Scripturæ divinæ locutionibus adversam, scientes volentes, infamare satgerunt; ut patet ex 1ª. & 2ª. objectione Vincentiana, & 8ª. ac 9ª. Gall. apud Prosp. Itaque integerrimam Augustini doctrinam adeò dolosè perverterunt, & invidiosè traduxerunt, ut Apostolicæ veritati, non solùm imperitis, sed & eruditis, contraria prorsus appareret: Primam quippe objectionem suam Vincentius ille Semi-Pelagianus his conceptis verbis efformavit: *Quod Dominus noster Iesus Christus non pro omnium hominum salute & redemptione sit passus*: Secundam his: *Quòd Deus nolit omnes homines salvare, etiamsi omnes salvari velint.* Octavam objectionem suam Galli his terminis proposuerunt: *Quòd non omnes velit Deus salvos fieri, sed certum numerum prædestinatorum.* Nonam his: *Quod non pro totius mundi redemptione salvator sit crucifixus.* Moliniani nostri adeò ipsos imitati sunt in Thesibus [b] Anti-Iansenianis, ut illorum spiritus Pythogorica quadam trasmigratione in hos transfusus videatur: horum quippe quintus articulus Iansenio affictus est iste: *Negat Deum velle omnes homines salvos fieri, sed tantùm eos quos elegit ad regnum*: Sextus iste: *Negat Christum pro omnibus crucifixum & mortuum, sed tantùm pro ijs qui salvantur*: Nullum interim locum Iansenij hic citant, uti nec Vincentius, aut Galli ullum Augustini, apud Prosperum citarunt; existimant enim fidem suam tanti ab omnibus habendam, ut sufficiat ad credendum rem ita esse, ipsos id dixisse. Sed pace ipsorum dixerim, soli ij possunt eorum citationibus

b præfat. pag. 9.

tationibus acquiescere qui parati sunt dicere bonum malum & malum bonum, album nigrum & nigrum album: ut enim non longiùs à proposito abeamus, eodem cap. 2. artic. 6. pag. 26. col. 1. in principio sub titulo Iansenius, sic habent: *Christus non pro totius mundi redemptione crucifixus & mortuus est, sed tantùm pro ijs qui salvantur*: citant verò locum ubi Ianseniúm id dixisse comminiscuntur, nimirum Tom. 1. l. 8. cap. 26. col. 546. quàm fideliter, ex hoc uno colligas quod liber octavus tomi primi non nisi 23. capitibus universim constet: tria proinde reliqua capita videntur eadem arte ab ipsis fabricata, qua Bullæ Anti-Baianæ 3. articulos affinxerunt; ut enim patet ex capite 4. earumdem Thesium pag. 98. col. 2. articulus 75. sive penultimus genuinæ bullæ nuperrimè Lovanij excusæ, apud ipsos est 78. Cum tamen in tota bulla non extent nisi articuli 76. unde si ultimum articulum bullæ citare voluissent, non potuisset esse nisi 79. cum tamen (uti dixi) in vera bulla non sint nisi 76. articuli; putabit fortè quispiam, non tam ipsos quam Typographum errasse citando caput istud 26. libri 8. Typographum errasse non omninò inficior, sed & ipsos æque aut magis errasse in ista citatione contendo: dicoque, in toto tomo primo Iansenij propositionem istam tanquam à Iansenio assertam non haberi, multò minùs in commentitio isto capite. Dixi, tanquam à Iansenio assertam, quia tom 1. lib. 8. cap. 23. sive ultimo libri & tomi, Iansenius refert istam propositionem tanquam ab Hincmaro, Semi-Pelagianos Patres suos imitante; Prædestinatianis, hoc est, Augustino & discipulis ejus, affictam: quem Hincmarum (ut eodem capite paulò post refert Iansenius) Valentina synodus condemnavit. Nec mirari satis queo lippitudinem istorum hominum qui rem luce meridianâ clariorem videre non potuerunt, non solùm dicto capite 2°. *famosarum Thesium*, sed etiam cap. 3. artic. 3. in principio, ubi eandem propositionem Iansenio affingunt, libro & columnâ (omisso interim capite superabundante) ijsdem; maximè cùm Iansenius loco illo acerrimè carpat Hincmarum, & propositionem prædictam ex Hincmari impostura relatam, distincto charactere depingat. Nimirum hi sunt quos Scriptores Societatis à Iansenio ob citatum pro Augustino Pelagium redargui, velut vindices expectant. An forte errori Typographi etiam adscribent intrusionem [c] Critobuli in epistolam Hieronymi ad Ctesiphontem? item intrusionem Malderi Episcopi Antuerpiensis

[c] c. 7. p. 4 col. 1. nu. 7.

d c.1 a.7 pag.3. tuerpiensis d in numerum SS. Patrum. Item Præsidentiam Clarij in scholis Theologicis die 21. Octobris. 1614. contradicentibus etiam lapidibus chori Ecclesiæ S. Petri, quibus, grandioribus characteribus notatur Clarij obitus die 22. Augusti 1611. hoc est, solido triennio & duobus mensibus ante prodigiosam istam præsidentiam Hallisticam, in qua Molinianam sententiam de gratia sufficiente, velut novus Samuel à Pythonissa resuscitatus, aut alter Lazarus, non dico quatriduanus, sed quadriennuanus non à Iesu, sed à Iesuitis excitatus, propugnasse perhibetur. *Mira sunt quæ dicitis, nova sunt quæ dicitis, falsa sunt quæ dicitis: mira stupemus, nova cavemus, falsa convincimus.* e

e Augu. lib. 3. contr. Iul. c. 3.

Porrò Moliniani in efformatione propositionis, qua de nunc agimus, non tam imitati quàm supergressi videntur Gallos & Vincentium apud Prosperum, illi quippè omiserunt adversativam, *sed*, quam Moliniani ad majorem invidiam Iansenio concitandam intexuerunt, quo faciliùs quisque apprehenderet Ianſenium Apostolo contradicere, asserendo posteriorẽ partem, speciétenùs priori, qua Christus pro omnibus crucifixus & mortuus prædicatur, adversam; quod perinde est ac si dicerent, negat omne animal fuisse in arca Noë, sed tantùm ea quæ salvata sunt. Ostendant si possunt in toto Iansenij Augustino propositionem istam, Christus pro omnibus crucifixus est, negatam. Sed non ostendent. imò nec ostendent à Iansenio usquam negari, gratiam quam temporaliter recipiunt nonnulli reprobi, eis dari ex meritis passionis Christi, cum contrarium frequentissimè pronuntiet. Ex quo videas novam horum criminatorum astutiam: cùm enim dicere debuissent (si Iansenij sententiam non juxta dolum calumniatoris, sed juxta sensum authoris exprimere voluissent) negat Christum pro salute æterna reproborum crucifixum aut mortuum; stupendâ impostûrâ ei affingunt, quod neget Christum pro omnibus crucifixum; stupendiori interserunt adversativam, *sed*, inter priorem & posteriorem partem, quasi hæc illi adversaretur, cùm tamen non magis adversetur quàm hæc, *Plurima animalia perierunt aquis diluvij extra arcam*, huic, *Omne animal evasit aquas diluvij per arcam.* Pulcherrimè Augustinus: f *Dolosi vel imperiti medici est etiam utile medicamentum sic alligare ut aut non prosit, aut obsit.* Et quidem si spectemus occasionem cur hoc dixerit Augustinus, omnia quæ hactenus diximus, clariùs innotescent: Massilienses igitur quemadmodùm circa voluntatem

f Lib. de bono persever. cap. 21.

Dei

Dei omnes salvandi, & circa passionem Christi pro omnibus toleratam, Augustini doctrinam invidiosè traducebant; ita & circa prædicationem prædestinationis & reprobationis. *Sed aiunt, ut scribitis* (inquit, g) *neminem posse correptionis stimulis excitari, si dicatur in conventu Ecclesiæ audientibus multis: Ita se habet de prædestinatione definita sententia voluntatis Dei, ut alij ex vobis de infidelitate, acceptâ obediendi voluntate veneritis ad fidem, vel acceptâ perseverantiâ maneatis in fide: cæteri verò qui in peccatorum delectatione remoramini, ideò non surrexistis, quia necdum vos adiutorium gratiæ miserantis erexit. Veruntamen si qui estis necdum vocati, quos gratiâ suâ prædestinaverit eligendos, accipietis eandem gratiam, quâ velitis & sitis electi. Et si qui obeditis, si prædestinati estis reijciendi, subtrahentur obediendi vires, ut obedire cessetis.* Hunc insulsissimum modum prædicandi prædestinationem, Augustinus in adversarios retorquet argumento desumpto ex præscientia divina ab abversarijs agnita; *nimiæ contentionis est* (inquit h) *prædestinationi contradicere, vel de prædestinatione dubitare. quæ tamen non ita populis prædicanda est, ut apud imperitam & tardioris intelligentiæ multitudinem redargui quodammodo ipsa sua prædicatione videatur: sicut redargui videtur & præscientia Dei quam certè negare non possunt, si dicatur hominibus: sive curratis, sive dormiatis, quod vos præscivit qui falli non potest, hoc eritis. Dolosi autem vel imperiti medici est etiam utile medicamentum sic alligare, ut aut non prosit, aut obsit.* i Et rursus de eadem prædicatione prædestinationis disserens. *Quid enim sententiæ deperit,* inquit, *si ita dicatur: Si qui autem obediunt, sed in regnum eius & gloriam prædestinati non sunt, temporales sunt, nec usq; in finem in eadem obedientia permanebunt? Nonne & veriùs eadem res, & congruentiùs dicitur, ut non ipsis tantum malum tanquam optare videamur, sed de alijs referre, quod oderint, nec ad se existiment pertinere, sperando & optando meliora? illo autem modo quo idem dicendum putant, eadem sententia ijsdem penè verbis etiam de præscientia Dei, quam certè negare non possunt, pronuntiari potest, ut dicatur: si qui obeditis, si præsciti estis reijciendi, obedire cessabitis. Nempe hoc verissimum est. Ita sanè, sed improbissimum, importunissimum, incongruentissimum, non falso eloquio, sed non salubriter valetudini humanæ infirmitatis apposito.* Vides juxta Augustinum, rem verissimam subinde ex modo proponendi esse importunam, & scandalosam, quantò magis cùm proponitur sub terminis alienum prorsus sensum ingenerantibus, prout ostendimus Iansenij doctrinam ex Augustino haustam, à Molinianis proponi; aut potiùs imponi. Nunc de re ipsa videamus,

g Lib. de bono perfever. cap. 15.

h Ibid. cap. 21.

i cap. 22.

investigando mentem Augustini de sensu istius propositionis *Christus dedit se metipsum redemptionem pro omnibus.*

Quòd igitur Augustinus non senserit Christum pro æterna salute omnium omninò hominum fuisse crucifixum, simili modo probari potest, quo in superiori Thesi ostendimus, eum non sensisse, Deum velle ex parte sua omnes omninò homines salvos fieri. Primum ergo argumentum desumitur ex dictis Thesi præcedenti, ubi ostendimus Augustinum non de omnibus omninò hominibus tam reprobis, quàm electis, intellexisse illud, *Deus vult omnes homines salvos fieri*, sed de solis electis: ut enim superiùs tradidimus, concussâ semel hâc basi Semi-Pelagianismi, reliqua moles sponte suâ ruit: Christus quippè *descendit de cælo*

k Ioan. 6. 38. *non ut faceret voluntatem suam, sed voluntatem eius, qui misit eum*: atqui per hoc, si is qui misit eum non voluerit quenquam salvari nisi qui reipsa salvatur, Christus non descendit de cælo ut salvaret quenquam eorum, qui finaliter non salvantur. Vnde mox ibidem subtexit: *Hæc est autem voluntas eius, qui misit me, Patris: ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die.* Hinc novum emergit argumentum: Christus non posuit animam suam nisi pro eorum salute qui à Patre sunt ei dati: atqui soli electi sunt ei à Patre dati, ut apertissimè docet Augusti-

l Lib. de cor. & grat. c. 9. nus l his uerbis: *Non perit filius promissionis, sed filius perditionis. Fuerunt ergò ipsi* (de reprobis loquitur) *ex multitudine vocatorum, ex electorum autem paucitate non fuerunt. Non igitur filijs suis prædestinatis Deus perseverantiam non dedit, haberent enim eam si in eo filiorum numero essent; & quid haberent quod non accepissent, secundùm Apostolicam veramque sententiam? Ac per hoc tales filij filio Christo dati sunt; quemadmodùm ipse dicit ad Patrem, ut* OMNE QVOD DEDISTI MIHI *non pereat, sed habeat vitam æternam. Hi ergò Christo intelliguntur dati qui ordinati sunt ad vitam æternam: ipsi sunt illi prædestinati, & secundùm propositum vocati, quorum nullus perit. Ac per hoc nullus eorum ex bono in malum mutatus finit hanc vitam, quoniam sic est ordinatus, &*

m Lib. de præ-dest. SS. cap. 16. *ideò Christo datus ut non pereat, sed habeat vitam æternam.* Et alibi. m *Omnes enim docibiles Dei veniunt ad filium, quoniam audierunt & didicerunt a Patre per Filium, qui evidentissime dicit: Omnis qui audivit a Patre & didicit, venit ad me: istorum autem nemo perit, quia omne quod dedit ei Pater, non perdet ex eo quicquam. Qui istius ergò inde est, omninò non perit: nec erit inde qui pereat. propter quod dictum est, ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis, nam si fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum.*

Ex qui-

Ex quibus verbis novum exurgit argumentum desumptum ex oratione Christi; certum enim est, nec Adversarij diffitentur, Christum pro omnium illorum salute orasse, pro quibus obtulit semetipsum in cruce, ergo si non oravit pro salute reproborum, non obtulit se in cruce pro salute reproborum: non oravit autem pro salute reproborum, sed solum pro salute electorum, ergo &c. minor probatur, quia non oravit nisi pro salute eorum, quos Pater ei dedit, atqui juxta Augustinum jam citatum solùm electos dedit ei Pater, ergo &c. Major patet ex illis Christi verbis Ioan. 17. *Pater venit hora, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te; sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam --- manifestavi nomen tuum hominibus quos dedisti mihi de mundo: tui erant, & mihi eos dedisti ---* EGO PRO EIS ROGO: NON PRO MVNDO ROGO, SED PRO HIS QVOS DEDISTI MIHI --- *de mundo non sunt, sicut & ego non sum de mundo. sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas est, sicut tu me misisti in mundum, & ego misi eos in mundum. & pro eis ego sanctifico meipsum; ut sint & ipsi sanctificati in veritate. non pro eis autem rogo tantùm*, SED ET PRO EIS QVI CREDITVRI SVNT PER VERBVM EORVM IN ME. Vides hic Christum disertissimè pronuntiantem, pro eis se rogare quos Pater ei dedit; vides eum perspicuè asserentem, se *non rogare pro mundo, sed pro eis quos Pater ei dedit*: proque eis se sanctificare, id est, per passionem crucis immolare. Vides ubi dicit se non pro præsentibus tantùm sibi datis, & ab ipso in mundum missis, rogare; notanter designasse terminum quem noluit exclusum voce, *tantùm*, dum addit: *Sed & pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me*: ut quid enim hæc specificatio, si ad omnes universaliter oratio extendatur. Vide de hac oratione Christi B. Augustinum tract. 104. & septem seqq. in Ioannem, signatim tractatu 110. ubi solvens apparentem antilogiam inter ista verba vers. 9. *Non pro mundo rogo sed pro his quos dedisti mihi*, & ista vers. 23. *ut cognoscat mundus quia tu me misisti. Ecce*, inquit, *qui dixerat, non pro mundo rogo, pro mundo rogat ut credat; Quoniam est mundus de quo scriptum est, ne cum hoc mundo damnemur: pro isto mundo non rogat, non* ENIM *quò sit prædestinatus ignorat: & est mundus de quo scriptum est, non venit filius hominis ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum: unde & Apostolus, Deus inquit, erat in Christo mundum reconcilians sibi, pro isto mundo rogat dicens, ut mundus credat quia tu me misisti; per hanc enim fidem mundus reconciliatur* DEO *cùm credit in Christum, qui est missus à* DEO.

à Deo. Vides duplicem hic ab Augustino distingui mundum: unum damnandorum, alterum salvandorum: vides pro posteriori, non pro priori, Christum rogasse; addita etiam illa, omnibus reprobis communi, ratione; NEQVE ENIM QVÒ SIT PRÆDESTINATVS IGNORAT; sciebat quippè non ad æternam salutem, sed ad gehennam justo judicio Dei, peccatum sive originale sive insuper actuale vindicantis, fuisse destinatum. Vnde non tam Iansenium, quàm per Iansenij latus, Augustinum impetunt Moliniani, quando cap. 2. pag. 9. *famosarum Thesium*, in Catalogo articulorum (ut ipsis videtur) damnabilium, septimo loco recensent, à Iansenio doceri, *Christum non magis orasse patrem pro infidelium, aut justorum non perseveraturorum salute, quàm pro diaboli*. Quibus verbis more iterum suo, ad majorem invidiam Iansenio aut potiùs, ut dixi, Augustino concitandam, studiosè, ubi de salute loquuntur, omittunt, *æternâ*, & rursùs de infidelibus generaliter loquuntur absque ulla limitatione sive ad eos qui in infidelitate perpetuò mansuri sunt, sive ad eos qui de infidelitate resipiscentes ad fidem aliquando convertendi sunt; pro his enim posterioribus Christum orasse patrem, manifestissimè patet ex illa oratione superiùs relata ex Ioan. 17. ubi vers. 20. hæc occurrunt: *Non pro eis autem rogo tantùm, sed & pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me.* idque satis indicat quotidiana praxis Ecclesiæ pro infidelibus ad fidem convertendis, instantissimè Deum deprecantis. Audiant interim Moliniani Iansenium non sibi sententiam illam quam carpunt, adscribentem; sed Augustino planissimè attribuentem: *Quæ sanè* (inquit [n]) CVM IN AVGVSTINI DOCTRINA *perspicua certaque sint, nullo modo* PRINCIPIIS EIVS *consentaneum est ut Christus Dominus, vel pro infidelium* IN INFIDELITATE MORIENTIVM, *vel pro justorum non perseverantium* ÆTERNA *salute mortuus esse, sanguinem fudisse, semetipsum redemptionem dedisse, patrem orasse sentiatur. Sciret enim quò quisque iam ab æterno prædestinatus erat, sciret hoc decretum ne ullius pretij oblatione mutandum esse, nec se ipsum velle mutare. Ex quo factum est, ut* JVXTA SANCTISSIMVM DOCTOREM, *non magis Patrem pro æterna liberatione ipsorum, quam pro diaboli deprecatus fuerit.* Quis tam lippus, ut hic non videat sententiam de qua agimus, non sibi, sed Augustino tam inculcatè à Iansenio adscribi; non quidè eâ verborum formâ, quâ à Molinianis invidiosè expressa est, sed cum debitis restrictionibus, *in infidelitate morientium*; *æterna salute.*

[n] Tom. 3. lib. 3. cap. 10. col. 39.

Sed

Sed audiamus sequentia Iansenij verba, quibus calumnia apertiùs patefcat: *Sed si quid* (inquit) *pro illis rogavit Patrem pro temporalibus quibusdam iustitiæ effectibus rogavit, & pro ijsdem obtinendis obtulit pretium fuditq́, sanguinem suum. Cuiusmodi oratio & oblatio, quia valde diminuta est, parumque reprobis, multum verò prædestinatis prodest, ut infra declarandum est, hinc fluxit, ut passim in scriptis suis Augustinus oblationem sanguinis & mortis & orationum Christi, ferè ad solos electos restringere soleat.* Nunc quæro à Molinianis an unquam in Iansenio legerint, Christum obtulisse pretium, fudisse sanguinem, rogasse Patrem, pro temporalibus justitiæ donis diabolo obtinendis? O si quidpiam vel apparenter tale in Iansenio deprehendissent, quomodò erigerent cristas, quomodò buccinarent, quam grossis characteribus in suo invidioso catalogo notarent? Cùm ergo non deprehenderint, qua fronte præsumunt hunc ei articulum affingere; *Christus non magis oravit Patrem pro infidelium, aut iustorum non perseveraturorum salute, quàm pro diabolis.* An temporales justitiæ effectus non spectent ad salutem saltem viatoris, an non sint ᵒ*fons aquæ salientis* (quantum ex se est) *in vitam æternam*? Et quæso si Ecclesia, Christi sponsa, sentiret, Christum pro reprobis sibi cognitis orasse, & pretium sanguinis sui tradidisse, cur ipsa tanti præceptoris exemplo commonefacta, pro reprobis sibi notis non oraret? cur Deum Patrem non obnixè postularet, ut tam pretiosi sanguinis effusionem non pateretur suo fructu & effectu in reprobis frustrari? Dicent fortasse *Moliniani*, nos falsum supponere, Ecclesiam nimirum pro reprobis sibi notis (si contingeret eam quosdam nosse) quamdiu viatores sunt, non oraturam. Si id ipsi dicant, ego cum Iansenio asseveranter pronuntio, ipsos Augustino in terminis contradicere. ᵖ Augustinus enim postquam cap. 23. lib. 21. de civit. Origenis & aliorum insanum dogma, de damnatis aliquando ex inferno liberandis, solidissimè ex Scripturis refutasset, capite 24. commentum quorundam de liberandis omnibus in die judicij ob Sanctorum deprecatoriam intercessionem, retundens, sic ait: *Hoc autem & adversus eos valet, qui suas agentes causas contra Dei verba velut misericordiâ maiore conantur: ut ideò videlicet vera sint, quia ea quæ dixit homines esse passuros, pati digni sunt, non quia passuri sunt. Donabit enim eos, inquiunt, precibus Sanctorum suorum, etiam tunc tanto magis orantium pro inimicis suis, quantò utique sunt sanctiores, eorumque efficacior est oratio, & exauditione Dei dignior, iam nullam habentium omninò peccatum.*

ᵒ E. 4. 14

ᵖ Lib. 21. de Civit. cap. 23. Ibid. cap. 24.

peccatum. Cur ergo eâdem perfectissimâ sanctitate & cuncta impetrare valentibus, mundissimis, & misericordissimis precibus etiam pro Angelis non orarunt, quibus paratus est ignis æternus, ut DEUS *sententiam suam mitiget, & reflectat in melius, eosque ab illo igne faciat alienos? an erit forsitan quisquam qui hoc futurum esse præsumat, affirmans etiam s. Angelos simul cum sanctis hominibus, qui tunc æquales erunt Angelis* DEI, *pro damnandis & Angelis & hominibus oraturos, ut misericordiâ non patiantur quod veritate merentur, quod nemo sanæ fidei dixit, nemo dicturus est? alioquin nulla causa cur non etiam nunc pro diabolo & angelis eius oret Ecclesia, quam Magister* DEUS *pro inimicis suis iussit orare. Hæc igitur causa, qua fit, ut nunc Ecclesia non oret pro malis angelis, quos suos novit esse inimicos, eadem ipsa causa est, qua fiet, ut in illo tunc iudicio etiam pro hominibus æterno igne cruciandis, quamvis perfecta sit sanctitate, non oret. Nunc enim propterea pro eis orat, quos in genere humano habet inimicos, quia tempus est Pœnitentiæ fructuosæ. Nam quid maximè pro eis orat. nisi ut det illis* DEUS, *sicut dicit Apostolus pœnitentiam, & resipiscant de diaboli laqueis, à quo captivi tenentur secundum ipsius voluntatem? denique* SI DE ALIQUIBUS ECCLESIA ITA CERTA ESSET, UT QUI SUNT ILLI ETIAM NOSSET, QUI LICET ADHUC IN HAC VITA SINT CONSTITUTI, TAMEN PRÆDESTINATI SUNT IRE IN ÆTERNUM IGNEM CUM DIABOLO: TAM PRO EIS NON ORARET, QUAM NEC PRO IPSO. *Sed quia de nullo certa est, orat pro omnibus duntaxat hominibus inimicis suis in hoc corpore constitutis, nec tamen pro omnibus exauditur: pro his enim solis exauditur, qui etsi adversantur Ecclesiæ, ita tamen sunt prædestinati, ut pro eis exaudiatur Ecclesia; & filij efficiantur Ecclesiæ.*

Porrò quod hîc de Ecclesia docet, idem de singulis fidelibus, Ecclesiæ membris, alibi tradit: *Proinde* (inquit) *quantum ad nos attinet, qui prædestinatos à non prædestinatis discernere non valemus, &* OB HOC *omnes salvos fieri, velle debemus; omnibus, ne pereant, vel ne alios perdant, adhibenda est à nobis medicinaliter severa correptio.* Audis, OB HOC, sive, quoniam non valemus discernere inter electos & reprobos, nos debere velle omnium indifferenter salutem: si enim ideo nunc debemus velle, quia non valemus discernere; quis non videat, nos non debere id velle si valeremus discernere? quis præterea ignoret, nos pro nullius salute orare nisi quem volumus salvum fieri, adeoque sublatâ hac volitione, tolli orationem? Eandem doctrinam varijs alijs locis ejusdem libri disertissimè tradit August., ut cap. 10. in principio: cap. 13. in fine: cap. 15.

Lib. de correp. & grat. cap. 16.

cap. 15. paulò post initium: & rursus circa medium, ubi docet omnibus prædicandam esse à nobis pacem, quia nescimus quis sit filius pacis. Quinimo ibi perspicuè indicat pacem non reverti ad nos, si eam scienter prædicemus alicui, qui non est filius pacis. *Neque enim metuendum est* (inquit) *ne perdamus eam pacem, si ille cui prædicamus non est filius pacis* IGNORANTIBUS NOBIS. *ad nos enim revertetur, id est, nobis proderit hæc prædicatio, non illi.* Et sanè pro magno absurdo habet August, Christum suo sanguine quenquam emisse, qui pereat: *potens homo* (inquit) *non potest perdere quod emit auro suo, & Christus perdit quod emit sanguine suo?* Neque hic audiendi sunt qui nodum in scirpo quærentes, nescio quid discriminis comminiscuntur inter verbum, *emendi*, & verbum *redimendi*, quasi Augustinus non negasset Christum suo sanguine redemisse, sed emisse eos qui pereunt: quasi vero Apostolus aliud voluisset ad Galat. scribens: *Christus nos* REDEMIT *de maledicto legis*, aut ad Titum: *qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos* REDIMERET *ab omni iniquitate*: aut Petrus in sua Epistola prima, *non corruptibilibus auro vel argento* REDEMPTI *estis --- sed pretioso sanguine* &c. aut Ioannes in Apocalypsi: REDEMISTI *nos Domine* DEUS *in sanguine tuo ex omni tribu, & lingua* (vide hic distributionem pro generibus singulorum; si enim omnes omnino, nemine excepto, redempti sunt; quomodo nos *ex omni tribu* & lingua &c. redempti sumus) *& populo & natione*: quasi, inquam, aliud voluissent significare verbo *redimendi*, quam aliàs verbo *emendi*, dum dicunt, *empti enim estis pretio magno*, item alibi: *pretio empti estis, nolite fieri servi hominum.* Item: *eum qui emit nos, Dominum negant.* Item: *qui empti sunt de terra --- Hi empti sunt ex hominibus*: ubi nota voces illas, *de terra*, *ex hominibus*. Quis enim non videat, restare aliquid terræ, aut hominum, non emptum? Sed audi adhuc clarissima verba Augustini tract. 48. in Ioan. ubi explicans illa verba Ioan 10. 26. *Vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis. Iam supra didicistis* (inquit) *quæ sint oves, estote oves: oves credendo sunt, oves pastorem sequendo sunt, oves redemptorem non contemnendo sunt, oves per ostium intrando sunt, oves exeundo, & pascua inveniendo sunt, oves vitâ æternâ perfruendo sunt: quomodo ergo istis dixit, non estis ex ovibus meis? Q*UIA *videbat ad sempiternum interitum prædestinatos,* NON AD VITAM ÆTERNAM SUI SANGUINIS PRETIO COMPARATOS. vis adhuc plura? audi eundem paulo inferius ibidem: *Quid potest lupus? quid potest fur & latro? non perdunt*

Serm. de natali S. Vincēt.

Gal. 3. 13.
Tit. 2. 14.
1. Pet. 1. 18.
Apoc. 5. 9.

1. Cor. 20.
1. Cor. 7. 23.
2. Pet. 2. 1.
Apoc. 14. 3. & 4.

niſi ad interitum prædeſtinatos. DE *illis autem ovibus, de quibus dicit Apoſtolus: novit* DOMINUS *qui ſunt eius: & quos præſcivit, ipſos & prædeſtinavit: quos autem prædeſtinavit, ipſos & vocavit: quos autem vocavit, illos & iuſtificavit: quos autem iuſtificavit, ipſos & glorificavit. De ovibus illis nec lupus rapit, nec fur tollit, nec latro interficit: ſecurus eſt de numero earum,* QVI PRO EIS NOVIT QVID DEDIT. Si ob datum pretium pro ovibus, ſit ſecurus: quomodo ſi idem pretium dedit pro hædis, non ſit etiam de iis æquè ſecurus? ſed audi adhuc eundem epiſt. 102. conceptiſſimis verbis negantem, ullum eorum perire, pro quibus crucifixus eſt Chriſtus. *miris* (inquit) *fit modis per altitudinem divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ* DEI, *& per inſcrutabilia iudicia eius, ut & nonnulli à corporibus incorporea diſcernentes cùm ſibi ob hoc magni videntur & irridens ſtultitiam prædicationis, qua ſalvi fiunt credentes, ab unica via longè exerrent, quæ ad vitam æternam ſola perducit; & multi in cruce Chriſti gloriantes, & ab eadem via non recedentes, etiamſi iſta quæ ſubtiliſſimè diſſeruntur, ignorent,* QVIA NON PERIT VNVS EX ILLIS PRO QVIBVS MORTVVS EST, *ad eandem perveniant æternitatem, veritatem, charitatem.* Quid, quæſo, aliud hinc ſequitur, quam aut nullum omninò hominem perire, aut Chriſtum non pro omnibus omninò mortuum eſſe? Si verò non eſt pro omnibus omninò mortuus, profectò non omnes omninò redemit, ſuo quippe ſanguine, quem moriendo effudit, omnes redemit quoſcumque redemit. Nec exiſtimo Molinianos conſequentiam Auguſtini à verbo redimendi ad verbum liberandi negaturos, cùm inter mira, nova, falſa, ſtupenda, cavenda dogmata, Auguſtinus illud recenſeat Pelagianorum, quo admittebant in Sacramento Baptiſmi infantes redimi, ſed negabant eos liberari: *Pergite* (inquit) *adhuc pergite, & ſicuti dicitis, in ſacramento Salvatoris baptizantur, ſed non ſalvantur:* REDIMVNTVR, SED NON LIBERANTVR: *lavantur, ſed non abluuntur: exorcizantur & exſufflantur, ſed à poteſtate diaboli non eruuntur. Sic etiam dicite, funditur pro eis ſanguis in remiſſionem peccatorum: ſed nullius peccati remiſſione mundantur.* Hucuſque dogma Pelagianorum relatum vides: audi cenſuram propugnatoris gratiæ: *Mira ſunt, quæ dicitis, nova ſunt quæ dicitis, falſa ſunt quæ dicitis: mira ſtupemus, nova cavemus, falſa convincimus.* Et ſanè non video cur magis repugnet quempiam redimi, qui nunquàm fuerit captivus, quam quempiam redimi qui nunquam fiat liber; cùm redemptio perinde ac liberatio tam reſpiciant libertatem pro termino ad quem, quàm

Lib. 3. cont. Iul. c. 3.

 152

quàm captivitatem pro termino à quo: sicut ergo Augustinus rectissimè contra Pelagianos, admittentes parvulos redimi, proque eis fundi sanguinem Salvatoris in remissionem peccatorum, argumentatur ad peccatum originale, quo constituuntur captivi & peccatores, sic rectissimè nos contra Molinianos procedimus, inferendo ex generalitate redemptionis, quam admittunt, generalitatem liberationis eorum, qui redempti dicuntur: & rursùs ex falsitate consequentis inferendo falsitatem antecedentis: quis enim dicat illum esse liberatum, qui nullo unquam tempore non est captivus? Sanè Christus Ioan. 8. 36. ex liberatione non dubitat colligere libertatem: *Si vos filius liberaverit* (inquit) *verè liberi eritis.* Hic necesse est ut Moliniani alterum horum admittant, *omnes omnino redimuntur, sed non omnes omninò liberantur: omnes omninò liberantur à filio, sed non omnes omninò liberi fiunt*: illud primum est Augustino *mirum, novum, falsum, stupendum, cavendum*: posterius adversatur Christo dicenti, *si vos filius liberaverit, verè liberi eritis.* Præclarè Augustinus: a *illi ergo vivunt, pro quibus ut vivant, mortuus est qui vivebat, quod apertius ita dicitur: illi sunt à mortis vinculo liberi. pro quibus mortuus est inter mortuos liber: vel sic multo apertiùs: illi sunt Liberati à peccato, pro quibus mortuus est, qui nunquam fuerat in peccato.* Simile argumentum desumi potest ex verbis *reconciliandi & pacificandi*; quibus junctim utitur Apostolus ad Coloss. b Quis enim dicet illos Dei inimicos c reconciliari aut pacificari Deo, super quibus ira Dei æternaliter manet? Vnde juxta Augustini doctrinam reconciliationis proprietas penes eos solos manet, qui à Christo Luc. 10. 6. appellantur filij pacis. *Quid est,* inquit, d *reconciliari nisi pacem ad illum habere. propter quam pacem etiam ipse Dominus Iesus Christus dixit discipulis: in quamcunque domum intraveritis, primùm dicite: pax huic domui, & si ibi fuerit filius pacis, requiescet super eum pax vestra: sin autem, ad vos revertetur? Cum hanc Euangelizant pacem, de quibus prædictum est, quam speciosi pedes eorum qui annunciant pacem, qui annunciant bona: nobis quidem tunc incipit esse quisque filius pacis, cum obedierit & crediderit huic Euangelio, & ex fide iustificatus pacem ad Deum habere cœperit: secundùm autem prædestinationem Dei, iam filius pacis erat. Neque enim dictũ est, super quem requieverit pax vestra, fiet filius pacis: sed, ubi fuerit, inquit, filius pacis, requiescet super eum pax vestra. Iam ergo & antequàm illi annunciaretur hæc pax, filius pacis erat, sicut eum noverat atque præscierat. non Evangelista, Sed Dominus. Ad nos ergo qui nescimus quisnam sit filius pacis, aut*

a lib. 6. con. Iu. cap. 5.

b Coloss. 1. 20.

c 2. Cor. 5. 20.

d Lib. de Cor. & grat. c. 15.

non sit, pertinet nullum exceptum facere, nullumque discernere, sed velle omnes salvos fieri, quibus prædicamus hanc pacem. An non hîc vides reconciliationem seu pacificationem factam (ut Apostolus e ait) sanguine crucis Christi, filijs pacis appropriari: qui quidem nobis incipiunt esse filij pacis cum temporaliter Euangelio sibi annunciato credunt, sed Deo per gratiosam prædestinationem ab æterno sunt filij pacis? Quid hîc habent infideles, quibus nunquam annunciatur pax, ac per hoc nunquam sunt nobis filij pacis: nec unquam à Deo prædestinati sunt ad filiationem aut amicitiam, sed ira Dei sempiternaliter manet super eos? Vide de hac reconciliatione Fulgentij verba Thesi præcedenti, ubi illud Apostoli Coloss. 1. 20. *reconciliare omnia in ipsum* &c. distributione commoda explicatum invenies. Quia vero Moliniani magnam vim ponunt in verbis illis 1. Ioan. 2. 2. *ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi*; videndum est quid Augustinus & discipuli ejus, *totius mundi* nomine intelligant. Sed prius quæro ab adversarijs quando legerunt caput illud secundum epist. Ioannis, cur ibi hæserint & non potius reliqua capita percurrere dignati sunt? si enim tria sequentia capita legissent, profecto invenissent cap. 5. 19. hæc verba: MVNDVS TOTVS *in maligno positus est.* An forte dicent, hoc etiam loco per *mundum totum* intelligi omnes omnino homines, nullo excepto? Sed huic intelligentiæ contradicunt præcedentia ibidem verba: *scimus quia qui natus est ex* DEO, *non peccat, & malignus non tangit eum. Scimus quoniam ex* DEO *sumus.* Ecce qui dixerat se *ex* DEO *esse*; qui dixit, *ex* DEO *natum non peccare, & ne tangi* quidem *à maligno*, simul dixit, *mundum totum in maligno positum esse.* Et sane per, *totum mundum*, non semper intelligi omnes omnino homines nullo prætermisso, satis noverunt etiam Pharisæi Ioan 12. 19. Vbi cum vidissent turbam procedentem obviam Christo Hierosolymam adventanti: *Ecce* (aiunt) *mundus totus post eum abijt.* Si ergo hæc turba potuit appellari *totus mundus*; cur non possit sic appellari multitudo illa visa ab Apocalyptico vate, e quæ ultra centum quadraginta quatuor millia signatorum ex omni tribu filiorum Israël insuper complectitur turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis? Sed quid de usurpatione vocis, *mundus*, item, *totus mundus*, sentiat Augustinus ipsomet lucidissimè inculcante videamus: *Habent*

e Coloss. 1. 20.

e Apoc. 7

 153

bent (inquit f) *Scripturæ Canonicæ hunc arguendi morem, ut tanquam omnibus dicatur, & ad quosdam verbum perveniat. Quod etiam Apostolus dicit ad Corinthios decimo quinto capite: quo modo dicunt quidam in vobis quia resurrectio mortuorum non est? manifestat utique non omnes esse tales, veruntamen & tales non extra, sed in eis fuisse testatur; à quibus ne illi seducerentur, qui non ita sentiebant, paulo post monuit dicens: Nolite seduci, corrumpunt mores bonos colloquia mala sobrij estote iustè, & nolite peccare. Ignorantiam enim Dei quidam habent. Ad reverentiam vobis loquor. Quod autem dicit: cum enim sint inter vos æmulatio & contentio, nonne estis carnales, & secundum hominem ambulatis? tanquam omnibus dicit. Et vides quàm sit grave, quod dicit. Proinde nisi in ipsa epistola legeremus: Gratias ago Deo meo semper pro vobis in gratia Dei, quæ data est vobis in Christo Iesu, quia in omnibus ditati estis in omni verbo & scientia, sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis, ita ut nihil desit vobis in ulla gratia: putaremus omnes Corinthios carnales & animales, non percipientes quæ sunt spiritus Dei, contentiosos, æmulos, secundum hominem ambulantes. Itaque &* TOTUS MUNDUS IN MALIGNO POSITUS EST, PROPTER ZIZANIA QUÆ SUNT PER TOTUM MUNDUM, *& Christus propitiator est peccatorum nostrorum, non tantum nostrorum, sed* TOTIUS MUNDI, PROPTER TRITICUM QUOD EST PER TOTUM MUNDUM. Audi adhuc eundem non minus dilucide mentem suam adversus Molinianos exprimentem tract. 87. in Ioann. ad illa verba: *si de mundo essetis, mundus quod suum erat diligeret. Universa utique hoc dicit Ecclesia* (inquit) *quam plerunque etiam ipsam* MUNDI *nomine appellat, sicut est illud: Deus erat in Christo,* MUNDUM *reconcilians sibi. Itemque illud: non venit filius hominis ut iudicet* MUNDUM, *sed ut salvetur* MUNDUS *per ipsum: & in epistola sua Ioannes ait, advocatum habemus ad patrem Iesum Christum iustum, & ipse propitiator est peccatorum nostrorum, non tantùm nostrorum, sed etiam* TOTIUS MUNDI: TOTUS ERGO MUNDUS ECCLESIA EST, & TOTUS MUNDUS ODIT ECCLESIAM. MUNDUS *igitur odit* MUNDUM, *inimicus reconciliatum, damnatus salvatum, inquinatus mundatum: sed iste* MUNDUS *quem* DEUS *in Christo reconciliat sibi, & qui per Christum salvatur, & cui per Christum peccatum omne donatur,* DE MUNDO ELECTUS EST INIMICO, *damnato, contaminato. Ex eadem quippe massa quæ tota in Adam perijt, fiunt vasa misericordiæ, in quibus est* MUNDUS PERTINENS AD RECONCILIATIONEM; *quam* MUNDUS *odit, ex eadem massa, pertinens ad vasa iræ, quæ perfecta sunt ad perditionem.* Et infra: *qui enim de* MUNDO MUNDUM *elegit,*

f Epi. 48 ad Vincen.

fecit

fecit quod eligeret, non invenit: quia reliquiæ per electionem gratiæ salvæ factæ sunt: si autem gratia, inquit, iam non ex operibus, alioquin gratia iam non est gratia: Si autem quæratur quomodo se diligat MVNDVS PERDITIONIS, qui odit MVNDVM REDEMPTIONIS, diligit se utique falsâ dilectione, non verâ. Item tract. 110. in Ioan. ad illa verba: Vt mundus credat, quia tu me misisti. quid est hoc? (inquit) nunquid nam tunc crediturus est mundus, quando in Patre & Filio unum omnes erimus? nonne ista est pax illa perpetua & potius fidei merces quàm fides? unum enim erimus, non ut credamus, sed quia credidimus. Sed etsi in hac vitâ propter ipsam communem fidem, omnes qui unum credimus, unum sumus: iuxta illud Apostoli, Omnes enim vos unum estis in Christo Iesu, etiam sic non ut credamus, sed quia credidimus, unum sumus: quid est ergo, Omnes unum sint, ut mundus credat? ipsi quippe omnes MVNDVS EST CREDENS Neque enim alij sunt, qui unum erunt, & alius est mundus propterea crediturus quia illi unum erunt, cum proculdubio de his dicat, ut omnes unum sint, de quibus dixerat, non pro his tantùm rogo, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me: continuò subiungit, ut omnes unum sint. Isti autem omnes QVID EST MVNDVS non HOSTILIS utique sed FIDELIS? Item tract. 111. ad illa verba: Pater quos dedisti mihi, volo & ubi ego sum & illi sint mecum. qui sunt isti quos ait à Patre datos sibi? nonne illi de quibus alio loco dicit, nemo venit ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum? Iam quomodo ea quæ fieri dicit à Patre, faciat & ipse cum Patre, si quid in hoc Euangelio profecimus, novimus. Ipsi sunt ergo quos à Patre accepit, quos & ipse elegit de MVNDO, atque elegit, ut iam non sint de MVNDO, sicut non est & ipse de MVNDO, & sint etiam ipsi MVNDVS CREDENS & cognoscens quòd Christus à Deo Patre sit missus, ut MVNDVS ex MVNDO liberaretur, ne MVNDVS DEO RECONCILIANDVS cum MVNDO INIMICISSIMO damnaretur. Sic enim ait in huius orationis exordio, dedisti ei potestatem omnis carnis, id est, omnis hominis, ut omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam: ubi ostendit potestatem se quidem omnis hominis accepisse, VT LIBERET QVOS VOLVERIT, DAMNET QVOS VOLVERIT, qui vivos & mortuos iudicabit, sed eos sibi esse datos, quibus omnibus det vitam æternam: sic enim ait, ut omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam. Proinde non ei dati sunt, quibus vitam non dabit æternam, quamvis & ipsorum potestas data sit, cui potestas data est omnis carnis, id est, omnis hominis: MVNDVS RECONCILIATVS ex INIMICO liberatur MVNDO, cum in illo exerit potestatem suam, ut eum in mortem mittat æternam: hunc autem facit suum, cui vitam donat æternam.

Item

154.

Item Tract 1. in Epistolam B. Ioannis, ubi ex professo locum illum, quem adversarij urgent, exponit. *Non tantum nostrorum, sed & TOTIUS MUNDI. Quid est hoc Fratres?* inquit, *certè invenimus eam in campis saltuum, invenimus* ECCLESIAM IN OMNIBUS GENTIBUS. *Ecce Christus propitiatio est peccatorum nostrorum: non tantùm nostrorum, sed & TOTIUS MUNDI. Ecce habes* ECCLESIAM PER TOTUM MUNDUM, *noli sequi falsos iustificatores & veros pracipitatores, in illo monte esto* QUI IMPLEVIT ORBEM TERRARUM, *quia Christus propitiatio est peccatorum nostrorum, non tantùm nostrorum, sed &* TOTIUS MUNDI QUEM SUO SANGUINE COMPARAVIT. Item tract. 5. in eandem Epistolam ad illa verba: *Nolite mirari Fratres si mundus vos odit. Nunquid sæpe vobis dicendum est* (inquit) *quid est mundus? non cœlum, non terra, nec ista opera quæ Deus fecit, sed dilectores mundi. Ista sæpe dicendo quibusdam onerosus sum: sed usque adeo non frustra dico, ut aliqui interrogentur an dixerim, & non respondeant. Ergo vel inculcando hæreat aliquid in cordibus audientium. Quid est mundus?* MUNDUS EST QUANDO IN MALO PONITUR, DILECTORES MUNDI: MUNDUS QUANDO IN LAUDE PONITUR, CŒLUM ET TERRA EST, *& quæ in his continentur opera Dei: unde dicitur, &* MUNDUS *per eum factus est. Item* MUNDUS EST PLENITUDO TERRÆ, *sicut dixit ipse Ioannes: non solum autem nostrorum propitiatio peccatorum, sed &* TOTIUS MUNDI. MUNDI DICIT OMNIUM FIDELIUM PER ORBEM SPARSORUM: *Mundus autem in malo amatores mundi sunt.*

Augustino adjungatur fidissimus interpres Prosper: qui quid de voce (*totus mundus*) sentiat, apertè indicat in *sententia super object. 8. Gall. Ex toto enim mundo*, inquit, TOTUS MUNDUS *eligitur, & ex omnibus hominibus omnes homines adoptantur.* Et lib. 1. de vocat. gentium cap. 9. *In electis* (inquit) *& præscitis, atque ab omnium generalitate discretis, specialis quædam censetur* UNIVERSITAS, *ut de toto mundo* TOTUS MUNDUS *liberatus, & de omnibus hominibus omnes homines videantur assumpti.* Et infrà ibidem: *his & aliis documentis, quæ possunt ab inquirentibus numerosiora proferri,* NON DUBIE DEMONSTRATUR, *interdum & pro parte terræ omnem terram, &* PRO PARTE MUNDI TOTUM MUNDUM, *& pro parte hominum omnes homines nominari.* Et lib. 2. cap. 16. *Conveniebat excita miraculo diversi generis hominum multitudo, ut Evangelium Christi in eis qui aderant,* TOTUS MUNDUS *audiret.* Enimverò quid vocula (*totus*) aliud

importat quam plenitudinem quandam? jam si Prospero credimus, lib. 1. de vocat. gentium cap. 9. *Habet populus Dei* PLENITUDINEM *suam*. pro cujus populi plenitudine Christum fuisse crucifixum, non autem pro populo ad interitum reprobato (nisi generali quodã & minus proprio loquendi modo, disertissimè tradit Prosper tribus istis locis, quibus ex professo sententiam Molinianorum in Massiliensibus impugnat. Primus locus est Respons. ad object. 9. Gallorum quæ fuit hæc: *Quod non pro totius mundi redemptione salvator sit crucifixus.* ad quam Prosper in hunc modum respondet: *Nullus omnino est ex omnibus hominibus, cuius natura in Christo Domino nostro suscepta non fuerit, quamvis ille natus sit in similitudine carnis peccati: omnis autem homo nascatur in carne peccati. Deus ergo Dei filius, mortalitatis humanæ particeps factus absque peccato, hoc peccatoribus & mortalibus contulit, ut qui nativitatis eius consortes fuissent, vinculum peccati & mortis evaderent. Sicut itaque non sufficit hominum renovationi natum esse hominem Iesum Christum, nisi in ipso eodem, de quo ipse ortus est, spiritu renascantur:* SIC NON SUFFICIT HOMINUM REDEMPTIONI, CRUCIFIXUM ESSE DOMINUM CHRISTUM, *nisi commoriantur ei & consepeliantur in Baptismo. Alioquin nato salvatore in carne substantia nostra, & crucifixo pro omnibus nobis, non fuerat necessarium, ut renasceremur, & similitudine mortis eius complantaremur: sed cum sine hoc sacramento, nemo hominum consequatur vitam æternam,* NON EST SALVATUS CRUCE CHRISTI, QUI NON EST CRUCIFIXUS IN CHRISTO. NON EST AUTEM CRUCIFIXUS IN CHRISTO, QUI NON EST MEMBRUM CORPORIS CHRISTI, QUI NON PER AQUAM ET SPIRITUM SANCTUM INDUIT CHRISTUM. *Qui ideo infirmitate nostra communionem subyt mortis, ut nos in virtute eius haberemus consortium resurrectionis. Cum itaque rectißimè dicatur salvator pro totius mundi redemptione crucifixus,* PROPTER VERAM HUMANÆ NATURÆ SUSCEPTIONEM, & PROPTER COMMUNEM IN PRIMO HOMINE OMNIUM PERDITIONEM: *potest tamen dici* PRO HIS TANTUM CRUCIFIXUS, QUIBUS MORS IPSIUS PROFUIT. *Dicit enim Euangelista: quia Iesus moriturus erat pro gente, non tantum pro gente, sed etiam ut filios Dei dispersos congregaret in unum. In sua enim venit, & sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri: Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Diversa ergò ab istis sors eorum est, qui inter illos censentur, de quibus dicitur: Mundus eum non cognovit, ut poßit secundum hoc*

dici

dici redemptor mundi: dedit pro mundo sanguinem suum, ET MVNDVS REDIMI SOLVIT: *quia lucem tenebræ non receperunt. Et tenebræ receperunt: quibus dicit Apostolus: fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Ipse verò Dominus Iesus, qui dixit se venisse quærere & salvare, quod perierat. Non veni, inquit, nisi ad oves quæ perierant domus Israel. Neque quia sunt semen Abrahæ, omnes filij, sed in Isaac vocabitur tibi semen, id est, non qui filij carnis, hi filij Dei: sed qui filij promissionis æstimantur in semine. In istis ergo sunt illi, de quibus dictum supra memoravimus: quia Iesus moriturus erat pro gente; non tantum pro gente, sed etiam ut filios Dei dispersos congregaret in unum:* QVIA NON SOLVM EX IVDÆIS, SED ETIAM EX GENTIBVS, *per eum, qui vocat quæ non sunt, tanquam quæ sunt, & qui dispersos Israel congregat, filij Dei, filij promissionis in unam Ecclesiam congregentur: ut impleatur quod promissum est Abrahæ, cui dictum est, quod in semine eius benedicenda essent* OMNES TRIBVS TERRÆ. Vides hic Prosperum apertissimè negantem *sufficere hominum redemptioni, crucifixum esse Dominum Christum, Nisi ei commoriantur.* Audis negantem, *salvari cruce Christi qui non est crucifixus in Christo:* negantem, *crucifigi in Christo qui non est membrum corporis Christi.* Audis dicentem, eatenus posse dici Christum pro totius mundi redemptione crucifixum, quatenus veram humanitatem, omnibus utique communem, suscepit.

Secundus locus est, sent. super eadem object. 9. Gallorum *Qui dicit*, inquit, *quod non pro* TOTIVS MVNDI *redemptione salvator sit crucifixus: non ad* SACRAMENTI VIRTVTEM, *sed ad infidelium respicit partem:* CVM SANGVIS DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI PRETIVM TOTIVS MVNDI SIT: À QVO PRETIO EXTRANEI SVNT, *qui aut delectati captivitate, redimi noluerunt: aut post redemptionem ad eandem sunt servitutem reversi.* NON ENIM CECIDIT VERBVM DOMINI, *neque evacuata est* MVNDI REDEMPTIO. QVIA ETSI NON COGNOVIT MVNDVS DEVM IN VASIS IRÆ, COGNOVIT TAMEN MVNDVS DEVM IN VASIS MISERICORDIÆ, *Quæ* DEVS *nullis eorum bonis meritis præcedentibus, eruit de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ.* Audis hic denuo inculcari modū generalem & minus propriū juxta quem admitti possit, Christum pro omnibus omninò crucifixum, nimirum quoad virtutem Sacramenti. Audis approbari sententiam oppositam quatenus respicit ad eam mundi partem quæ in infidelitate persistit. Audis à mundi pretio pronunciari *extraneos* qui in captivitate perpetuo maneant aut ad eam finaliter revertuntur.

Audis non idcirco evacuari redemptionem mundi. Vtpote qui licet non in vasis iræ, in vasis tamen misericordiæ cognovit Deum.

Tertius locus est Respons. ad primam objectionem Vincentianam, quæ fuit hujusmodi: *Quod Dominus noster Iesus Christus non pro omnium hominum salute, & redemptione sit passus.* Cui objectioni Prosper in hunc modum respondet: *Contra vulnus originalis peccati, quo in Adam omnium hominum corrupta, & mortificata natura est, & unde omnium concupiscentiarum morbus inolevit, verum & potens ac singulare remedium est mors Filij Dei Domini Iesu Christi: qui liber à mortis debito, & solus absque peccato, pro peccatoribus & debitoribus mortuus est.* QVOD ERGO AD MAGNITVDINEM ET POTENTIAM PRETII, *&* QVOD AD VNAM PERTINET CAVSAM GENERIS HVMANI, *sanguis Christi redemptio est* TOTIVS MVNDI. *Sed qui hoc sæculum sine fide Christi, & sine regenerationis Sacramento pertranseunt,* REDEMPTIONIS ALIENI SVNT. *Cum itaque* PROPTER VNAM OMNIVM NATVRAM, *&* VNAM OMNIVM CAVSAM A DOMINO NOSTRO IN VERITATE SVSCEPTAM, RECTE OMNES DICANTVR REDEMPTI, *& tamen non omnes à captivitate sint eruti,* REDEMPTIONIS PROPRIETAS HAVD DVBIE PENES ILLOS EST, DE QVIBVS PRINCEPS MVNDI MISSVS EST FORAS, *& iam non vasa diaboli, sed membra sunt Christi. Cuius mors* NON ITA IMPENSA EST HVMANO GENERI, VT AD REDEMPTIONEM EIVS ETIAM QVI REGENERANDI NON ERANT PERTINERENT: *sed ita, ut quod* PER VNICVM EXEMPLVM GESTVM EST PRO VNIVERSIS *per singulare Sacramentum celebraretur in singulis. Poculum quippe immortalitatis, quod confectum est de infirmitate nostra & virtute divina,* HABET QVIDEM IN SE VT OMNIBVS PROSIT: *sed si non bibitur,* NON MEDETVR. Quid his Prosperi verbis clarius, quibus totum quod prioribus responsionibus dixerat, summariè recapitulat? quânam enim ratione admitti possit redemptio generalis, explicat dicendo: *quod ergo ad magnitudinem & potentiam pretij, & quod ad unam pertinet causam generis humani* &c. verùm quia ratio ista ad proprietatem redemptionis non sufficit, addit, eos qui solum isto modo quasi inchoatè redempti sunt, simpliciter manere *Redemptionis alienos*; quoniam HAVD DVBIE *redemptionis* PROPRIETAS *penes illos est, de quibus princeps mundi missus est foras.* Vnde clarissimis verbis mox subjungit, Christi *mortem non ita impensam esse generi humano, ut ad redemptionem eius etiam qui regenerandi non*

 156

non erant, pertinerent. Si non pertinent ad redemptionem, quomodo redempti, nisi largâ & minimè exactâ loquendi normâ? Sanè exemplum à Prospero adhibitum de poculo medicinali, mentem ejus non dubijs conjecturis patefacit: quod enim ægrotis est pharmacum, hoc captivis est lytrum. Sicut ergo nemo propriè dicet; ægrotum, pharmaco quod nunquam sumpsit nec sumpturus est, sanari: ita nec captivum, lytro nunquam sibi applicato, nunquam acceptato, redimi. Quis enim dicet illos belli duces, qui modo in Gallia aut Germania captivi detinentur, & pro quibus toties oblatum est lytrum etiam superabundans, eo ipso esse redemptos, quo sufficiens redemptionis pretium fuerit præsentatum, licet nondum acceptatũ? August[us]. supra audivimus, inter paradoxa Pelagianorum *mira, nova, falsa, stupenda, cavenda*, recensentem illud: *Redimuntur sed non liberantur.* Dicent fortè Moliniani, omnes omninò eatenus liberari quatenus intuitu passionis Christi accipiunt à Deo per gratiam sufficientem, facultatem excutiendi captivitatem, & transeundi, si velint, ad sortem Sanctorum, ubi vera est libertas. Verum si August[o]. [a] credimus, hoc effugium suâ taciturnitate præcludunt paruuli, quibus, *Deo nolente*, baptismus non datur: ut omittam nunc alia loca quibus gratiam sufficientem omnibus paratam, non obscurè refellit & improbat. Vide hanc Dei voluntatem toties ab Aug[o]. inculcatam Thesi præcedente. quamvis igitur Christus præveniendo acceptationem patris neminem à redemptione excluserit, & hac ratione possit dici redemisse, quantum in se fuit, indiscriminatim omnes, quorum personam, propter communem omnibus naturam, patiendo & satisfaciendo gerebat; quia tamen pater, penes quem erat libertas acceptandi lytrum à Christo oblatum sive pro omnibus sive pro certis tantum captivis communi carcere conclusis, non pro omnibus sed pro sibi placitis istud acceptavit, idcircò in his & non in reliquis perfecta est redemptionis proprietas: hi sunt ergo illi quos à patre sibi datos atque à se servatos Christus toties appellat: hi sunt pusillus [b] grex quibus dare regnum, patri complacuit: Hi sunt oves [c] pro quibus bonus pastor posuit animam suam: Hi sunt semen longævum Christo promissum [d] si poneret pro peccato animam suam: In his notum fecit Dominus Sacramentum voluntatis suæ, [e] Secundum beneplacitum ejus, quod proposuit in eo, in dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia

[a] l. 4. cõr. Iul cap. 8. Epist. 107. ad Vital.

[b] Lucæ 12.31.

[c] Io 10. 15.

[d] Isa. 53 10.

[e] Ephes. 1. 9.

 in Christo,

in Christo, quæ in cælis & in terra sunt, in ipso: in quo etiam & nos sorte vocati sumus, prædestinati secundum propositum ejus, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ. Vnde cùm Christus rogatus ex parte filiorum Zebedæi ut juberet unum à dextris suis, alterum à sinistris in gloria sedere, respondit: [f] *Sedere ad dextram meam vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à patre meo.* Nemo eorum quibus id à patre paratũ est, spe suâ finaliter excidit, quia non perit filius promissionis sed filius perditionis: nemo quippe de manu filij rapit eos quos pater filio dederat, sed omnes trahuntur à patre ad filium, omnes à patre in schola, à sensibus carnis valde remota, sic audiunt & discunt, ut non tantùm cognoscendo videant veniendum esse ad filium, Sed etiam volendo appetant, agendoque perficiant: pro his rogat Christus ut non deficiat fides eorum, & exauditur pro sua reverentia, daturque [g] eis liberrima, fortissima, perseverantissima, invictissima voluntas.

[f] Marc. 10.40. Matth. 20.23.

[g] De corr. & grat. c.8

Ex quibus non obscurè liquet quid nomine *totius mundi* Apostolus Ioannes juxta Augustini & Prosperi expositionem intellexerit, suffragante Catholicâ Ecclesiâ, quæ in præfatione Pentecostali de Spiritus Sancti in filios adoptionis effusione agens subdit: *Quapropter profusis gaudijs* TOTVS *in orbe terrarum* MVNDVS *exultat*: non enim eousque progressuros arbitror Molinianos, ut dicant omnes omninò homines tam fideles quam infideles, tam adultos quam parvulos exultare propter effusionem Spiritus sancti in filios adoptionis.

Sed provocant nos Moliniani, ut *de obscuro augustiarum* (sic Sanctorum Doctorum authoritates appellant in vita Lessij cap. 4.) *carcere, in lucidos spatiosofque rationis campos* excurramus, & enervemus syllogismum, quem nobis objiciunt in *Baroco*; putant quippe se in Philosophia haud difficulter triumphaturos de Iansenio, utpote qui nunquam (prout ei aliquoties improperant) Philosophiam docuerit. Sed audiant, obsecro, paulisper Augustinum adversus Iulianum ad eosdem Philosophiæ campos provocantem: *Quod autem* (inquit) [a] *in hoc opere tuo, quomodo fiant à Dialecticis syllogismi, unde quæstionem tibi nullus obiecit, docere conaris, quantum tibi places, tantum gravibus lectoribus displices.* Et alibi: [b] *Quod autem dixi: qui miratur quia creatura Dei subditur diabolo, non miretur: subditur enim creatura Dei creaturæ Dei, minor maiori: cur ita posuisti, ut sequentia mea verba non adderes, quibus ostendi quemadmodum dixerim,*

[a] Lib. 3 cõt. Iul. cap. 7.

[b] Lib. 6 cap. 9.

tim, minor maiori humana scilicet angelica? nisi ut minus intelligeretur sensus meus, ut faceres tibi locum, ubi sicut soles, de ARISTOTELICIS CATEGORIIS *obtenderes nebulas imperitis, in quibus latenter putarent te aliquid dicere, quid diceres nescientes. Ad hoc enim redacta est haeresis vestra, ut gemant sectatores vestri non inveniri* DIALECTICOS IUDICES *in Ecclesia* DE SCHOLIS PERIPATETICORUM SIVE STOICORUM, *à quibus possitis absolvi.* Et alibi: c *Quaeris dialecticos iudices, & irrides vulgum, quasi ad ipsum te iudicem adducam, à quo indicari ista non possunt: quae si tu didicisses, Pelagiani dogmatis machina sine architecto necessario remansisset. Si vis vivere, noli amare sapientiam verbi, quâ evacuatur crux Christi.* Et alibi: d *Sed videlicet ut* EGREGIUS DIALECTICUS *non me patieris elabi, sed pressè interrogabis & breviter.* Et alibi: e *Magnum aliquid te Dialectica docuit, rem quae in subiecto est, sine illa re esse non posse, in qua subiecta est, & ideo putas malum quod est in parente, utique in subiecto, alij rei, id est, prolis ad quam non pervenit, reatum non posse transmittere. recte hoc diceres, si malum concupiscentiae de parente non perveniret ad prolem. Cùm vero sicut sine illo nemo seminatur, ita sine illo nemo nascatur, quomodo dicis eò non pervenire, quò transit? Non enim* ARISTOTELES CUIUS CATEGORIAS INSIPIENTER SAPIS, *sed Apostolus dicit, per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per omnes homines transijt. Nec sanè tibi Dialectica illa mentitur, sed tu non intelligis.* Et alibi: f *Nunquid milites? Nunquid scholastici auditoriales? Nunquid nautae, tabernarij cetarij, coqui, lanij? Nunquid adolescentes ex monachis dissoluti? Nunquid postremò de qualiumcunque clericorum turba isti sunt, quos urbana exagitatos dicacitate, vel potius vanitate contemnis, quia non possunt secundum* CATEGORIAS ARISTOTELIS *de dogmatibus iudicare? Quasi tu qui maximè conquereris examen vobis & Episcopale iudicium denegari,* PERIPATETICORUM POSSIS INVENIRE IUDICIUM, *ubi de subiecto & his quae sunt in subiecto* (de syllogismo in Baroco) *contra originale peccatum* (contra restrictionem redemptionis Christi ad solos fideles) *Dialectica sententia proferatur.* Et alibi: g *Rogo quid respondebis? quibus eos* (Patres antea citatos) *oculis intueberis? quae tibi argumenta succurrent? quae* ARISTOTELIS CATEGORIAE, *quibus ut in nos velut artifex disputator insilias, videri appetis elimatus? quae tuorum argumentorum vel* ACIES VITREA, *vel* PLUMBEI PUGIONES *in illorum conspectu exeri audebunt? quae abs te arma non fugient, nudumque destituent? an forte dicturus es neminem illorum te in isto crimine nominasse? Et quid facies cum tibi dixerint,* TOLERABILIUS DENTE MALEDICO NO-

c Lib.6. cap.4.

d Lib.3. cap.6.

e Lib.5. cap.9.

f Lib.2. cap.10.

g Lib.1 cap.4.

M NA CONSIDERES NOSTRA, QVAM FIDEM NOSTRAM *cuius merito in cælo nomina scripta sunt nostra?* Hæc adversus Iulianum ad Peripateticorum tribunal à Sanctorum Patrum authoritate provocantem Augustinus. Similia habet Hieronymus de Celestio, Pelagij Achate, in epistola ad Ctesiphont: *Unus*, inquit, *discipulorum eius* (*Pelagij*) *imo iam magister & totius ductor exercitus*, *& contra Apostolum vas perditionis*, *per solœcismorum*, *& non* (*ut sui iactitant*) SYLLOGISMORVM SPINETA DECVRRENS, SIC PHILOSOPHATVR *& disputat.* Postmodum circa finem epistolæ de seipso loquens sic ait: *multi anni sunt*, *quod ab adolescentia usque ad hanc ætatem diversa scripsi opuscula*, *semperque habui studio audientibus loqui*, *quod publicè in Ecclesia didiceram*: NEC PHILOSOPHORVM ARGVMENTA SECTARI, *sed Apostolorum simplicitati acquiescere*, *sciens illud scriptum*: *perdam sapientiam sapientium*, *& prudentiam prudentium reprobabo. Et*: *fatuum Dei sapientius est hominibus.*

Sanè nisi Molinianos nimius zelus *susceptam* suam quoquo modo defensandi obnubilasset facilè vidissent suum syllogismum (nisi paralogismum dicere malis) in *Querimonia Zegeriana* non solùm secundæ & tertiæ, sed & primæ editionis, à Catholico (nequicquam reclamante invidia) Catholicè & prosperè juxta Prosperi doctrinam enervatum: Augustinianamque Iansenij sententiam verbis Concilij Tridentini adaptatam. *Verum duas*

h pag. 14 *præcipuè hæreses* (inquit Querimonia h secundæ editionis, consonante prima editione) *ex* AVGVSTINO *Iansenij*, *tanquam maximè notabiles ac deformes Serenissimo Principi R. P. Concionator repræsentat. Primò*, *quod Concilium Trid. dicat*: *Etsi Christus pro omnibus mortuus est*, *non omnes tamen mortis eius beneficium recipiunt*: *Iansenius vero id negare videatur*, *& affirmare*, *tantum mortuum esse pro electis*, *qui beneficium illud mortis recipiunt. Sed idem olim ob ectum S. Augustino a Semi-Pelagianis. Unde idem responderi potest R. P. Concionatori*, *quod Pro-*

i S. Prof. c. 9. ad Capit. Gall. *sper illis*: i *Cum rectissimè dicatur salvator pro totius mundi redemptione crucifixus*, *propter veram humanæ naturæ susceptionem*, *& propter communem in primo homine omnium perditionem* (*& sic Trid. verum dixit*) *potest tamen dici* (*& sic S. Augustinus*, *& Iansenius discipulus eius verè dixit*)

k S. Prof Resp. ad obiect. Vinc. *pro his tantum crucifixus*, *quibus mors ipsius profuit. Et alibi*: k *Cum propter unam omnium naturam*, *& unam omnium causam à Domino nostro in veritate susceptam*, *rectè omnes dicantur redempti*, *& tamen non omnes à captivitate sunt eruti*, REDEMPTIONIS PROPRIETAS HAVD DVBIE PENES ILLOS EST, *de quibus princeps mundi missus est foras. Et*

iam

158

iam non vasa diaboli, sed membra sunt Christi. Hactenus *Querimonia.* Quid quæso amplius desiderare posset ad enervationem seu syllogismi seu paralogismi in Baroco, ullus sobriè sapiens?

Nunquid enim qui hoc R. P. Concionatori respondit, minorem præmissam seu syllogismi seu paralogismi Thesistarum distinxit, duplicemque usurpationem subjecti istius (*pro quibus mortuus est Christus*) satis perspicuè assignavit: unam largam, alteram propriam? nunquid juxta priorem usurpationem admisit cum majore minorem, prout postulat authoritas Tridentini & Prosperi? Nunquid consequentiam, & consequens juxta eandem usurpationem intellectum, concessit? Sed quid inde amplius habent Adversarij, quàm Christum generali illo titulo, fundato in vera humanæ naturæ susceptione, & communi omnium in primo homine perditione, posse dici mortuum pro omnibus hominibus, redemisseque omnes, etiam qui non salvantur? quod & verissimum esse posset, etiam in eventum quo Pater lytrum Passionis sibi à Christo oblatum, pro nullo omninò acceptasset; neminem Christo dedisset; neminem à captivitate liberasset; neminem ad illam Scholam, in qua omnes sunt docibiles Dei, intromisisset; neminem ad Christum traxisset; neminem reconciliasset, filiumque pacis fecisset; neminem prædestinasset, vocasset, justificasset, glorificasset. Quod si Adversarij minorem præmissam sui syllogismi juxta propriam & antonomasticam usurpationem subjecti (*pro quibus mortuus est Christus*) intelligant; eam negavit non solùm Author Querimoniæ, sed Prosper qui disertissimè pronuntiat, *Redemptionis proprietatem haud dubiè penes illos esse, de quibus princeps mundi missus est foras*; item *mortem Christi non ita impensam esse generi humano, ut ad redemptionem eius, etiam qui regenerandi non erant, pertinerent.* item, *poculum immortalitatis non nisi illud bibentibus mederi.* item, *non esse salvatum cruce Christi, qui non est crucifixus in Christo.* item *non sufficere hominum redemptioni, crucifixum esse Dominum Christum, nisi commoriantur ei & consepeliantur in Baptismo.* item *posse dici pro his tantùm crucifixum esse Christum, quibus mors ipsius profuit.* item *a pretio redemptionis extraneos esse eos qui delectati captivitate redimi noluerunt, aut post redemptionem ad eandem sunt servitutem reversi.* Item *eos qui hoc sæculum sine fide Christi & sine regenerationis Sacramento pertranseunt, Redemptionis esse alienos.* Si denique Adversarij minorem præmissam juxta largam usurpationem subjecti accipiant, sed consequens juxta propriam & antono-

antonomasticam; non syllogismum, sed quatuor terminorum paralogismum obtrudunt, ac proinde non solùm à Theologis, sed & à Pedanis explodendi sunt ut Sophistæ. Nos interim eis reponimus id quod Iuliano similiter paralogizanti reposuit olim Augustinus. a *Vides quàm dialecticè nihil dixeris, & nullâ quidem culpâ dialecticæ disciplinæ, tu quantum à tramite eius exorbitaveris. Videris illius artis verbis ad hoc uti, ut eis inflatus attonitos facias imperitos, volendo videri esse, quod non es. Quod etsi esses, ad eum modum quo ista disputanda sunt, nihil esses. Sed planè nunc ineptus & imperitus, tunc autem ineptus artifex esses, & tamen Dialecticorum, quasi iaculis oneratus acutis, in certamen procedis, & iactas plumbeos pugiones.*

a Lib.3. cõt. Iul. cap.7.

Porrò quòd Prosper capitula objectionum Vincentianarum vocaverit *ineptissimas blasphemias*; *prodigiosa mendacia*; *diabolicum indiculum*; *perversas definitiones*; *impias profanasque opiniones*; Molinianos non juvat, sed jugulat. Ostendimus enim in principio hujus Thesis qualiter Moliniani in Thesibus Anti-Iansenianis adimpleant mensuram Massiliensium in capitulis Gallorum & obiectionibus Vincentianis. Falsissimum proinde est, quod Peripateticus noster denuò syllogizando subsumit, propositionem istam, *Christus pro omnium salute mortuus est*, in nullo sensu posse esse Iansenio veram: nam inprimis est Iansenio vera in illo sensu, quo Augustino vera est non solùm hæc ipsa, sed aliæ similes de quibus Thesi præcedente, ut, *Deus vult omnes homines salvos fieri*: item, *omnes in Christo vivificabuntur*: item, *erunt omnes docibiles Dei*: item, *Erat lux vera illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum.* Vide plura similia apud Prosperum & Fulgentium ibidem citatos. Deinde Iansenio vera est in sensu universaliori, juxta quem Prosper affirmat, *rectissimè dici posse quod Salvator pro totius mundi redemptione sit crucifixus, propter veram humanæ naturæ susceptionem, & propter communem in primo homine omnium perditionem: quamvis etiam possit dici pro his tantùm crucifixus, quibus mors ipsius profuit*; utpote penès quos (ut alibi ait) est *redemptionis proprietas*. Ex quibus patet quàm contrarium, imo injuriosum Prospero sit id, quod Adversarius in tertio suo syllogismo assumit. quod autem addit; *Non iuvat quod magnitudo pretij pro omnibus fuerit sufficiens, nam alioqui fuisset etiam Christus mortuus pro salute diaboli*: meliùs & Prospero conformiùs dixisset, *Non sufficit*, quàm, *Non iuvat*. Siquidem Prosper Respons. ad object. primam Vincentianam, rationem desumptam ex magnitudine pretij, velut *iuvantem*, non ut *suffi-*

cientem allegat; cui proinde novam rationem per modum supplementi adjungit dicens: *Quod ergò ad magnitudinem & potentiam pretij, & quod ad unam pertinet causam generis humani, sanguis Christi redemptio est totius mundi.* Et quanquàm prior ratio sola spectata, communis sit etiam redemptioni dæmonum, non tamen posterior; non enim una est causa dæmonum & generis humani: totum genus humanum in uno perijt, peccatumque ab uno primo parente perpetratum, in omnes posteros cum natura transfusum est: naturam istam omnibus communem salvator, personam omnium repræsentaturus, suscepit: à sua redemptione neminem, præveniendo Patris discretivam acceptationem, exclusit: atque hac ratione sicut *unam omnium hominum naturam*, ita *unam omnium causam in veritate suscepit.* nihil hic habent dæmones: *nusquam enim* (ut Apostolus ait b) *Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.* Et sic *qui sanctificat, & qui sanctificantur, ex uno omnes.* propter quam causam *non confunditur fratres eos vocare*; quibus & *per omnia assimilatus est*, tentatus quidem per omnia *pro similitudine*, sed *absque peccato.* b Heb. 2. 16.

Quod denique Adversarij addunt, eos non posse dici redemptos, pro quibus lytrum non persolvitur; si de proprietate redemptionis id intelligant, verum cum Prospero dicunt: nescio autem qua ratione velint lytrum secundùm proprietatem persolvi, ubi non intercessit acceptatio, multò minùs successit manumissio: jam toties diximus, Patrem non acceptasse lytrum Passionis nisi pro eis quos Christo, lytrum persolventi, tradidit; ad Christum traxit; sibi per Christum reconciliavit; libertati restituit; de quibus dicitur, *si vos filius liberaverit, verè liberi eritis*; si enim dives homo non perdit quod emit auro suo, quomodo filius Dei perdet quod emit sanguine suo? Nunquid enim si Deus lytrum Passionis acceptavit pro omnibus omnino hominibus, hoc ipso voluit omnes esse redemptos? Quomodo ergò stabit illud Prosperi superiori Thesi relatum:

——— *Iam pande quid hoc sit:*
Quòd bonus omnipotensque Deus non omnia subdit
Corda sibi, pariterque omnes iubet esse fideles?
Nam si nemo usquam est, quem non velit esse redemptum,
Haud dubiè impletur quidquid vult summa potestas?

Et sanè ita intellexit Concilium Valentinum à Iansenio citatum, c quando cap. 4. sic definivit: *De redemptione sanguinis Christi pro-* c Tom. 3. lib. 3. cap. 10. col. 385

pter NIMIUM ERROREM, *qui de hac cauſa exortus eſt, ita ut quidam, ſicut eorum ſcripta indicant, etiam pro illis impiis, qui a mundi exordio uſque ad Paſſionem* Domini *in ſua impietate mortui & æterna damnatione puniti ſunt, effuſum definiant, contra illud propheticum: ero mors tua ô mors, ero morſus tuus inferne: Illud nobis* SIMPLICITER ET FIDELITER TENENDUM AC DOCENDUM PLACET, IUXTA EVANGELICAM ET APOSTOLICAM VERITATEM, *quòd pro illis hoc datum pretium teneamus, quibus ipſe* Dominus *noſter dixit: ſicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in ipſo, non pereat, ſed habeat vitam æternam.*

Huic Concilij Valentini authoritati, alia verba ejuſdem Concilij cap. 5. opponunt Moliniani in *Theſibus famoſis* cap. 2. art. 6. pag. 27 §. *Concilia*: ſunt autem iſta: *Firmiſſimè tenendum credimus, quòd omnis multitudo fidelium ex aqua & Spiritu S. regenerata in Chriſti ſanguine ſit à peccatis ſuis abluta: quia nec in eis potuit eſſe vera regeneratio, niſi fieret vera redemptio - - - ex ipſa tamen multitudine fidelium redemptorum, alios ſalvari æternâ ſalute, alios quia redemptionis gratiam potius irritam facere, quam ſervare elegerunt, ad plenitudinem ſalutis, & ad perceptionem æternæ beatitudinis, nullo modo pervenire.* Hucuſque Concilium: quibus verbis ipſi ibidem hanc appendicem ſubjungunt. *Quâ ergò fide exaggerat Ianſenius hujus ſynodi ſolum caput quartum quaſi doceat pro ſolis ſalvandis mortuum Chriſtum? non poterat neſcire hoc decretum cap. 5. comprehenſum, in quo diſertiſſimis verbis traditur Chriſtus redemptor etiam reproborum. Deſinat ergo hujus Concilij authoritate pro ſe uti, aut æquè contra ſe eſſe fateatur.*

In hac brevi Apoſtrophe quàm multipliciter fallantur aut fallere nitantur Moliniani, haud ſanè facilè ullis verbis quantumvis exaggerativis explicari ſatis poteſt. Ac inprimis, quodnam, quæſo, peccatum Ianſenij eſt, quod authoritatem capitis iſtius quarti, quo Auguſtiniana de redemptione Chriſti ſententia, quam propugnandam ſuſcepit, mirè elucidatur, pro ſe etiam exaggeranter (ut ita eſſet) alleget? Secundò, quâ fronte dicunt, à Ianſenio ſolùm caput 4. iſtius Concilij exaggerari, cum Ianſenius non magis exaggeret caput 4, quam caput 5. Concilij, & quidem quoad doctrinam ijs verbis expreſſam, quæ ab ipſis velut ſententiæ Ianſenianæ adverſa recitantur? Ianſenius quippe poſt verba ex cap. 4. citata immediatè hæc ſubjungit: *Et capite quinto uberiùs declarat fideles omnes baptiſmo ſanctificatos in Sanguine Chriſti redemptionem aſſequi, ſive acceptâ redemptione perſeverent, ſive ab ea exciden-*

ea excidentes sanguinem Testamenti pollutum duxerint, in quo sanctificati sunt. In QVIBVS CAPITIBVS *ad amussim totam illam doctrinam quam hîc tradimus ex August. & ex Ecclesiæ Lugdunensis libris cõfirmavit, ac tanquam Catholicam approbando definivit: scriptoresque, qui contraria etiam in Concilio quorumdam fratrum susceptis libris exaratis sparserant, tanquam* INVTILIA, NOXIA, ERRONEA *propinantes, improbat: & à pio auditu fidelium penitùs explodit.* Si hæc verba exaggerativa sunt; certè non magis exaggerant caput quartum, quàm quintum. Tertio, quâ fide Iansenio imponunt, quod exaggeret caput illud quartum, *quasi doceat pro solis salvandis mortuum Christum*, cum Iansenius nusquam contendat sive ex illo Concilio, sive ex Augustino, sive aliunde probare, Christum pro solis salvandis mortuum esse, quin imò verbis jam citatis disertissimè tradat *fideles* OMNES *baptismo sanctificatos* IN SANGVINE CHRISTI REDEMPTIONEM ASSEQVI, *sive accepta redemptione perseverent, sive ab ea excidentes sanguinem testamenti pollutum duxerint, in quo sanctificati sunt?* Nescio quibus terminis posset apertiùs inculcare, Christum non pro solis salvandis, sed generaliter pro omnibus baptizatis sive perseveraturis sive finaliter perituris mortuum fuisse, idque à Concilio consentaneè ad doctrinam Augustini à se traditam definiri. Vt tamen manifestiùs appareat Molinianorum impostura, repetam hîc alia verba Iansenij superiùs citata, quibus circa finem ejusdem capitis, absque ulla caligine asseverat, Christum juxta Augustini doctrinam fuisse mortuum non solùm pro salute æternâ electorum, sed etiam pro temporalibus justitiæ effectibus, quos reprobi in hac vita nonnunquam recipiunt. *Ex quo factum est* (inquit) *ut juxta sanctissimum Doctorem, non magis patrem* PRO ÆTERNA LIBERATIONE *ipsorum* reproborum, *quàm pro diaboli deprecatus fuerit. Sed si quid pro illis rogavit patrem*, PRO TEMPORALIBVS QVIBVSDAM IVSTITIÆ EFFECTIBVS ROGAVIT, ET PRO IISDEM OBTINENDIS OBTVLIT PRETIVM, FVDITQVE SANGVINEM SVVM. Ex quibus verbis luce meridianâ clariùs patet, Molinianos nimis oscitanter aut infideliter Iansenio imposuisse, quòd docuerit, Christum pro solis salvandis mortuum fuisse, cum Iansenius apertissimè clamet, Christum *fudisse sanguinem* etiam pro reprobis; non quidem salute æternâ, sed tamen temporalibus justitiæ effectibus, donandis. Quartò, quod Moliniani ad extremum monent Iansenium, ut *desinat Concilij Valentini authoritate pro se uti, aut æque contra se esse fateatur*: haud scio

quò ſpectet, niſi ad extenuandam authoritatem dicti Concilij, tanquam, quod licet Ianſenio in uno capite faveat, eidem tamen alio capite adverſetur; ac per hoc ſibiipſi Concilium repugnet. *Celeſtius* apud Auguſtinum lib. de perfectione juſtitiæ, ut Scripturas peccatum origianle ejuſque pœnas aſtruentes infirmaret, alias Scripturas in ſpeciem repugnantes allegabat: atque ita, ut Auguſtinus ei toties improperat, non Scripturas ſolvebat, ſed arctiùs illigabat, non litem dirimebat, ſed novas lites ſuſcitabat: notum quippe eſt illud vulgare, *Arguere in contrarium, non eſt ſolvere argumentum.* Verum, ex dictis liquidò patet caput 5. Concilij Valentini non Adverſari Ianſenio, ſed mirè illuſtrare ſententiam, quam ex Auguſtino deducit, nimirum, Chriſtum quamvis pro æternâ ſalute reproborum non fuerit mortuus, nec pro eadem oraverit; pro temporalibus tamen juſtitiæ effectibus, quos Deus ſubinde reprobis impertitur, oraſſe patrem, & fudiſſe Sanguinem ſuum.

Deſinant proinde Moliniani Ianſenio imponere, quod nunquam ei in mentem venit, imo cujus oppoſitum tam inculcatè ex Auguſtini ſui principijs tradidit: aut certè ſi ipſi non deſinant ei imponere, deſinant ſaltem alij eis credere: nimis humiliter ſenſerunt de genere humano, quaſi nemo unquam Ianſenium lecturus eſſet, aut dogmata ei ab ipſis affficta cum doctrinâ ejus collaturus. Nos interim lectores Theſium hortamur ut non nimis præcipites ſint in credendo ea in Ianſenio reperiri, quæ Theſium compilatores ei impingunt. Audiant Auguſtinum adverſus Iuliani ſcripta lectores præmunientem: *Auferamus* (inquit) *ſi placet, iſta communia, quæ dici ex utraque parte poſſunt, quamvis ex utraque parte veraciter dici non poſſunt: primùm abs te quæro, cur libro meo ſaltem ſpecietenus te reſpondiſſe glorieris, cum tuis libris quatuor, unius mei partem nec quartam reprehendendo tetigeris, eoſque ſaltus in prætereundis meis diſputationibus feceris,* QVASI OMNINO DESPERARES VTRIVSQVE OPERIS, ET MEI SCILICET ET TVI, QVEMQVAM POSSE ESSE LECTOREM QVI ISTA DEPREHENDERET? *Denique etiam pauca ipſa, in quibus vix eſt, ut dixi, quarta pars voluminis mei, quæ velut infirmiora exiſtimans, quatuor tuorum grandiorum voluminum* (ſex capitibus famoſarum Theſium) *ſtrepitu tanquam totidem quadrigarum impetu proſternere & conculcare molitus es, confirmatiora cum multo plurium cæterorum, quæ attingere timuiſti, inconcuſſa manere monſtrantur; Quod oſtendere penè ſuperfluum eſt.* ADMONENDI ENIM SVNT POTIVS,

lib. 1. cõt. Iul. cap. 1.

TIVS, QVI HOC NOSSE DESIDERANT, VT NON EOS PIGEAT VTRUMQVE LEGERE, ET QVOD SCRIPSI, ET QVOD RESPONDERE VOLVISTI. *Ita enim se res ipsa declarat atque indicat, ut nimium tardi sint, qui hoc à nobis postulent demonstrari.*

Libet hic finaliter attexere confessionem Ecclesiæ Lugdunensis sub Remigio Archiepiscopo ab octingentis circiter annis editam, & à Iansenio Tom. 3. lib. 3. cap. 20. col. 384. & 385. recitatam ex auctuario Bibliothecæ SS Patrum Tom. 2. his verbis: *Ex his igitur omnibus diligenter ac fideliter consideratis rectissimè ac clarissimè ostenditur, pro omnibus fidelibus Christi, qui fuerunt aut sunt, vel erunt, factam esse Passionem Christi; pro Corpore Christi immolari corpus Christi. De his verò qui adhuc in infidelitate atque impietate detinentur, manifestum est ex hac* REGVLA FIDEI, *quòd quicumque ex ipsis per Dei gratiam fuerint ad fidem conversi, & in Christo regenerati, etiam pro ipsis confitendum est, factum esse quod pro omnibus fidelibus factum constat. De cæteris verò qui in ipsa infidelitate atque impietate sua perseverantes sunt perituri, si de Scripturæ Sanctæ authoritate quòd etiam de talibus Dominus passus sit certissimis & clarissimis testimoniis nobis demonstrare potuerint* BONI VIRI, QVI TALIA DEFINIERVNT, *dignum omninò est ut credamus & nos. Si vero non potuerint,* CESSENT CONTENDERE PRO EO QVOD NON LEGVNT: PVDEAT EOS DEFINIRE QVOD NESCIVNT: *timeant statuere, quod nullum SS. Patrum concilium, nullum Apostolicæ sedis Pontificium, nullum Ecclesiasticorum dogmatum decretum hactenus inveniant statuisse.* Hæc ibi. a Rursus alibi. De infidelibus in infidelitate morientibus sic sentiunt iidem: *Verissimè credimus & verissimè novimus quod numquam Dominus passus, nunquam mortuus est, nec ad eos salvandos ullatenus venit, nec pro eis pretiosum sanguinem fudit.*

a lib. de 3. epist.

Superfluum foret hic denuò inquirere quid de mente Augustini quoad hoc punctum senserint Massilienses adversarij, cùm id abundè constet ex Capitulis Gall. & objectionibus Vincent. superiùs recitatis. Quod verò ipsi Massilienses eandem tenuerint sententiam, quam nunc in Molinianis impugnamus, non solùm ex iisdem capitulis & objectionibus, nec non ex Fausto Regiensi lib. 1. de libero arbitrio cap. 16. ubi Augustini sententiam, sciens & volens, impugnat; sed etiam ex hac Massiliensium confessione apud Prosperum in Epistola ad Augustinũ, liquidò constat: *Pro universo,* inquiunt, *humano genere mortuum esse Dominum nostrum Iesum Christum, Et neminem prorsùs à redemptione sanguinis eius exceptum,*

exceptum, ETIAMSI OMNEM HANC VITAM ALIENISSIMA AB EO MENTE PERTRANSEAT; *quia ad omnes homines* PERTINEAT *divinæ misericordiæ Sacramentum.* Cui confessioni diametraliter opponitur illa Prosperi Respons. ad primam objectionem Vincentianam *: cuius* (Christi) *mors non ita impensa est humano generi ut ad redemptionem eius, etiam qui regenerandi non erant* PERPINERENT.

CONCLVSIO.

Moliniani Massiliensium mensuram implent: Vtilia medicamenta sic applicant, ut aut obsint, aut saltem non prosint: Augustino adversantur: Concilijs abutuntur: Iansenio imponunt: antiquata dogmata resuscitant: recta impugnant: obliqua defendunt. Quod erat ostendendum.

Quidquid hactenus diximus, aut in posterum dicturi sumus, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Ecclesiarum omnium matris ac magistræ censuris, nec non magistrorum nostrorum Sacræ Theologiæ Facultatem repræsentantium judicio humiliter submittimus.

F I N I S.

ERRATA.

Pag. 5. lin. 8. pro uniterfos, lege universos. Pag. 13. lin. 13. & 14. pro apapplaudebat, lege applaudebat. Pag. 17. lin. 5. pro eviratarum, lege ejuratarum. Pag. 18. l. 10. pro Ad Rem ista, lege Ad-Remista. Pag. 15. l. 12. lib. Adde 1. Pag. 26. l. 7. pro nimirum, lege nimium. Ibid. lin. 4. à fine, pro præteceuntibus, lege pereuntibus. Pag. 29. l. 22. pro suscipandi, lege suspicandi. Pag. 32. lin. pænultima pro pariensis, lege parisiensis. Pag. 38. lin. pænultima, pro parvis, lege parvulis. Pag. 39. lin. 11. pro scrutari, lege cogitare. Pag. 54. lin. 14. pro nitetur, lege niteretur. Pag. 59. lin. 5 pro quo, lege quo. Pag. 68. lin. 1. Clarij. nota in margine, cap. 2. art. 8. pag. 44.